

DE
THEOLOGIA PRACTICA

RECTE DEFINIENDA ET ADORNANDA

DISPUTATIO.

SCRIPSIT

ET SUMME REVERENDI ORDINIS THEOLOGORUM

IN

UNIVERSITATE CAESAREA DORPATENSI

AUCTORITATE

PRO SUMMIS IN SACROSANCTA THEOLOGIA
HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

PUBLICAE DEFENDET

THEODOSIUS HARNACK.

S. S. THEOL. MAG. V. D. M. ET V. F. P. P. E.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS HENRICI LAARMANN.

MDCCLXVII.

IMPRIMATUR

haec dissertatio, ea tamen conditione, ut simulac typis fuerit excusa, quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die X. mens. Maii anni 1847.

Dr. Fr. A. Philippi,
Ord. Theol. h. t. Decanus.

Ἄρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολίται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ, ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, ὅτις ἀκρογωνιαίον αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν ᾧ πᾶσα ἡ οἰκοδομὴ συναρμολογημένη ἀΐξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ ἐν ᾧ καὶ ἡμεῖς συνοικοδομεῖσθε, εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι.

Ep. ad Ephesios Cap. II, v. 19 — 22.

D16742

Argumentum.

Praefanda	1
Pars prior.	
CAP. I. Quid et qualis sit theologia, inquiritur.	13
CAP. II. Exponitur, quid intersit inter theologiam theoreticam et practicam.	20
CAP. III. Dissertitur de fundamentis, in quibus theologia practica posita sit.	
A. Theologiae practicae notio definitur.	27
B. Muneris ecclesiastici origo et natura examinatur et constituitur.	39
CAP. IV. Dijudicantur systemata recentiora, quibus theologia practica composita est.	
I. Inquiritur, quo modo principales totius doctrinae partes constituerint <i>Schleiermacher, Nitzschius, Schweizer et Liebner</i>	70
II. Examinantur systemata ipsa :	
A. Doctrina de ministerio ecclesiastico.	80
B. Doctrina de regimine ecclesiastico.	92
Pars posterior.	
Ratio nostra extruendi systematis theologiae practicae paucis adumbratur.	
Introductio. §§ 1 — 16.	101
I. Doctrina de ministerio ecclesiastico. §§ 17 — 30.	108
II. Doctrina de regimine ecclesiastico, vel Politica sacra. §§ 31 et 32.	116

PRAEFANDA.

Jam e nomine theologiae practicae facile apparet, in hac scientia varias concurrere causas minime idoneas ad laborem illis minuendum, qui sibi sumserint propriam hujus doctrinae naturam explicare, totumque ejus orbem describere et ordinare. Haec disciplina, quum pars eaque suprema sit theologiae, habenda est constituens et vivum hujus corporis membrum, ideoque legibus et praeceptis scientiae adaptanda. Quum autem sit scientia practica, non minus intime conspirat et cum praxi ecclesiae in universum, ad quam intelligendam confert, et praecipue cum munere ecclesiastico, ad quod bene gerendum et feliciter excolendum regulas et normas constituit. Dum igitur medium tenet locum inter scientiam theologiam et vitam ecclesiasticam, ita, ut alteram cum altera jungat, cuique in eam incumbenti cavendum est, ne in hanc vel illam partem excedat.

Si quis praxis momentum nimis premat, disciplina de qua agimus, vel ad servilem imitationem vulgaris

et tritae praxis ecclesiasticae abducitur*), vel nuda fit theologia applicata**), prout scientia practica aut cum empirica, aut cum populari confunditur. Si contra scientiae praecepta nimis urgemus, facile fieri potest, ut in arbitrariam istam artem criticam, vel in sterilem istam rerum construendarum methodum incidamus, quae maxime nostris diebus viget et floret, et cujus exempla recentiores practicae theologiae cultores praebent haud rara. Illic fit doctrina mere empirica, experientiae vestigia premens; hic vero ecclesia ejusque vita ipsa fit experimento literarum cultoribus, quasi tantum ob eam causam exstet, ut theologi sagacitatem et acumen ingenii in ea exercere atque ostentare possint. Utroque autem errore tam grave detrimentum praxi ecclesiasticae injungitur, ut nihil sit, quod ecclesia magis exoptet, quam ut prorsus intacta inviolataque relinquatur ab illa doctrina,

*) Habetur mera institutio ad munus rite gerendum, ut non solum apud veteres: *Hartmannum* („Pastorale evangelicum“ etc. edd. *Dan. Herrschmid*. Norimbergae 1722. 4.), *Deylingium* („Institutiones prudentiae pastoralis“, edd. *Christ. Küstner*. Lipsiae 1768.) et a., sed etiam apud recentissimos, ut *Haasium*, quamquam liber ejus inscriptus est: „*Wissenschaftliche Darstellung des geistlichen Berufs*“ etc. *Giessen* 1834.“ 2 Tom.

**) Idque maxime inde a Pietistarum tempore. Praecipue apud *Kleukerum* (cftr. ejus „*Grundriss einer Encyclop. der Theol.* Tom. II. *Hamb.* 1801.“ pag. 1 et 2), *Planckium* („*Einleitung in d. theol. Wissenschaften.*“ *Leipzig* 1794. 2 Theile.), *Niemeyerum*, qui jam in titulo operis sui huc pertinentis indicavit, sibi practicae theologiae nihil aliud esse, nisi popularem („*Handbuch für christl. Religionslehrer.*“ Tom. I: „*popul. u. prakt. Theol.*“ *Halle* 1792, et saepius.); et *Koesterum*. „*Man hat diese Wissenschaft — hic, quem postremum nominavimus, theologus ait, in libro suo inscripto: „Lehrbuch der Pastoral-Wissenschaft. Kiel* 1827. § 12. pag. 13 — *auch wohl praktische, oder angewandte, oder Pastoral-Theologie genannt; allein alle diese Namen sind zu unbestimmt, indem der Beruf des Geistlichen nicht einen besondern Zweig der Theologie, sondern die Anwendung der gesammten Theologie umfasst. Eher würde man sie theologische Praktik nennen dürfen.*“ Quae *Nitzschius* jure huic sententiae objecit, leguntur in „*Stud. u. Krit.*“ 1830. fasc. 3, pag. 732.

quae sive omnis criticae artis experta est, sive commentis hypercriticis confidit. Nam altera via non cognoscuntur, quae ecclesiae in statu praesente desunt, nec ei suppeditantur, quibus ad se ipsam emendandam indiget; altera autem via non agnoscitur, quidnam boni jam habeat, et auferuntur, quibus ad se ipsam conservandam insistere debet. Illam sequens ecclesia futura nihil habebit oblivioni tradendum, hanc sequens nihil fere a praeteritis temporibus, quibus hodierna ecclesia nititur, traditum dignum censebit, quod memoriae mandetur. Quae quum ita sint, pari modo ab utraque parte praesens ecclesiae conditio subruitur.

Utrumque vitium vitari nequit, nisi demonstretur, theologiae practicae constituens et necessarium totius theologiae membrum, simulque disciplinam propriam esse, quae sui sit juris, suamque habeat potestatem. Habenda igitur illa est systema in se absolutum, quod una ex parte tantum abest, ut priorem theologiae provinciam, quae theoretica appellari solet, ad vitae usum adhibeat, ut novam et extremam evolutionem totius studii theologici constituat*); altera autem ex parte minime neque praesentem, neque ullum praeteritum vitae ecclesiasticae statum tuetur et imitatur, sed omni opera enititur, ut ideam vitae ipsam assequatur, quae experientia superior est, et ex qua normae ecclesiae viventis et agentis deducendae sunt. Non inde ergo, quod jam praxis ecclesiastica aliqua institutione de se administranda indigens exstat, doctrina nostra tantum derivanda, sed multo magis ex notione theologiae probandum est, hanc imperfectam esse, quamdiu se ipsam nondum in practica illa theologia absolverit, ad quam interna

*) cfr. *Nitzschius* loco supra laudato.

necessitate, tanquam ad summum fastigium, tendit. Hac demum re theologia practica se ipsam necessariam et utilem praebebit muneri vitaeque ecclesiasticae, nec necesse erit, utilitas ejus etiam aliis argumentis probetur. Si quis nihilominus ejusmodi argumenta affert, tacite totam disciplinam ineptam esse confitetur. Accusare enim se videtur, qui se excusare vult.

Sicuti quaeque actio omni certitudine et prospero eventu destituta est, ignota ejus specie, neglectisque principiis, in quibus posita est, sic etiam res se habet in actionibus ecclesiam spectantibus. Neque vero hanc cognitionem assequi possumus, nisi indagata ecclesiae natura, et investigata historia totius vitae ecclesiasticae. Scientiae practicae igitur id agendum est, ut quamquam non empirico modo, tamen critica et historia ducibus ad rem accedat, utque, non adhibita ratione a singulis rebus cogitatione abstracta, neque methodo illa, quae omnia *a priori* constituit, nihilominus omnes causas normasque principales ex una primaria notione, quasi radice, deducat, itaque id consecetur, ut, quae adsunt et oculis se praebent ex natura et principiis suis mente percipiantur et intelligantur. Ut uno dicamus verbo, a practicae theologiae cultore postulandum est, ut eam intelligat historia duce, concepta cognitione, quae in re ipsa sita est, et sic tractet, ut praecepta alia ex aliis nexa tradantur, ita ut sit disciplina, non modo accurate fundata, sed etiam copiose constituta et exstructa. Dum hoc modo cognoscendi methodos realem et idealem, quae dicuntur, in se conjungit, doctrina nostra statum ecclesiae praesentem collustrat lumine illo, quod ex ipsa natura ecclesiae, neque non ex fine ei proposito elucet; et hac ratione re vera confert ad cognoscendam, servandam et

promovendam ecclesiae vitam. Simul theologia practica eo modo exulta bene conveniet et cum antecedente theologiae parte, sive theoretica, et cum praxi ecclesiastica. Summa necessitate utramque attingens, neutri se venditat, a neutra subigitur et domatur.

Quae adhuc de tractanda theologia practica, in universum et singulatim considerata, postulavimus, ea potissimum valent de adumbratione illius encyclopaedica, cujus est, notionem et systema ejus constituere atque adornare. Praecepta illa in adumbratione ejusmodi eo severius servanda sunt, quum in illa imago et forma delineetur, secundum quam universa disciplina nostra excolenda sit. Peccata graviora, quae hic committuntur, necessario vim noxiam exercebunt in exaedificando toto aedificio, perficiendisque singulis ejus partibus. Qua de re ejusmodi adumbratio probe conveniat necesse est cum universa ecclesiasticae vitae historia ideaque. Tantum hac via ingressi notionem fundatricem invenire possumus, ex qua demum praecepta et partes theologiae practicae plane et integre deduci queant. Hanc rationem ineuntes in describendis et distribuendis doctrinae, quam memoravimus, partibus, quidquid falsum, argutum, affectatum est, evitare possumus; e contra talis distributio singulorum articulorum constitui potest, quae vera sit et usui adaptata, quae in se sit absoluta et simplex. Nihil enim hic interest, num theologus aliquid novi et arguti excogitaverit, sed in eo omnia sunt posita, ut theologus probe et se ipsum non respiciens naturam ecclesiae indaget, et vestigia vitae ejus persequatur, eamque ad se ipsam funditus et clare cognoscendam omni, qua par est, diligentia juvet*)

*) Qua de re optime Schweizer judicavit in opusc. suo: „Ueber Begriff und Eintheilung der prakt. Theol.“ Lips. 1836. pag. 59.

Ea, quae diximus, etiam a plurimis theologiae practicae cultoribus praecipue inde a *Schleiermachers**) agnita et affectata sunt. Dum autem olim in tractanda doctrina nostra experientiam tantum sequebantur, negari non potest, quin nostra tempora periculo in contrariam partem excedendi premantur. Cui rei partim testimonio sunt nonnulla opera huc spectantia**), magis autem, quod per multos annos***) varia quidem in definienda notione et describendo orbe disciplinae nostrae facta sunt experimenta, neque tamen adhuc opus de theologia practica totum ad leges supra constitutas elaboratum exstat. Nihilo tamen minus agnoscendum est, jam undique largam materiam ad extruendum ejusmodi aedificium congestam esse, et illa supra dicta experimenta maximi esse momenti ad assequendum finem illum. Hac de causa etiam *Harmsii*, *Hüffeli*†) et aliorum institutionibus mere practicis, quae in imitanda et explicanda praxi ecclesiastica acquiescunt, sua manebit inviolabilis et evidens potestas, necessitas et utilitas.

Laudatas autem adumbrationes encyclopaedicas nimis leviter attigerit et dijudicaverit, qui eas tantum experimenta theologorum academicorum haberi velit, et in illis, ubi plurimum, luxum ingenii admiretur. Neque illae institutiones

*) In libro illo praeclaro, quo auctor monumentum ingenti sui acutissimi sagacissimique posuit praestantissimum: „*Kurze Darstellung des theologischen Studiums. 2te umgearbeitete Aufl. Berlin 1830.*“

**) Cujus vitii nostro iudicio non omnino absolvi possunt nec *Schweizeri*, *Liebneri* et *Kienlenii* scripta, quae infra afferemus, nec ea, quae *Peltius* in encyclopaedia sua theologica de disciplina nostra diseruit.

***) Inde ab anno 1837, quo *Marheinekii* adumbratio theologiae practicae („*Entwurf der praktischen Theologie*“) in lucem prodit.

†) *Claus Harms*, *Pastoraltheologie, in drei Büchern (der Prediger, der Priester, der Pastor)*. Kiel 1834. — *L. Hüffel*, *über das Wesen und den Beruf des evang.-christl. Geistlichen. 2 Theile. 4te Aufl. Gießen 1844.*

de administratione totius muneris ecclesiastici, neque reliqua opera, in quibus singulae ejus partes separatim et prolixius tractantur, jam per se studio theologico vel praxi ecclesiae satisfaciunt, quamquam utrique sunt pernecessaria. Ut enim, historia teste, ecclesia vivens et agens semper aegrotavit et relanguit, simulatque unam aliquam actionem ceteris omnibus anteposuit et se totam ad hanc contulit; sic etiam doctrina adversam hanc valetudinem vel alit et auget, vel movet et creat, si singula tantum respiciens non curat, ut animi semper excitentur ad ideam totius vitae ecclesiasticae contemplandam, et ordinem nexumque percipiendum, quo inter se omnes ecclesiae actus juncti sint et cohaereant. Qua de causa theologia practica adumbratione encyclopaedica carere omnino non potest, quae data opera speciem ejus et formam delineet, ejusque orbem totum describat, eo consilio, ut mentes advertantur ad pericula ecclesiae viventi imminencia, vel ad detrimenta jam capta, utque suppleantur, quae desint actiones. Neque autem inde sequitur, pro nihilo existimandum esse, qua ratione certa illa et primaria notio definiatur, in quam unam omnes coguntur actus ecclesiastici, vel quo modo ex illa singula momenta deriventur, sejungantur et distribuantur*). Id tantum cavendum est, ne μέθοδος longior fiat, quam ὁδός.

Verumenimvero attentum lectorem non fugiet, quanti hujus generis libri aestimandi sint, quum ex iis ut radix ex fructibus, ita natura et indoles praesentis doctrinae theo-

*) Notatu dignissima sunt, quae *Nitzschius* („*Observatt. ad theologiam practicam feliciter excolendam.*“ Bonnae 1831, pag. 9) his verbis monet: „*Viderint theologi, ne si solitis vel quibuslibet viis immaneant, vel ecclesiae notionem vel evangelicae proprietatem deserant, neve quicquam, quod omitti non possit sine damno, a negotio eorum, qui a nobis instituendi sunt, male acludant, vel ad iniquam exiguitatem condemnent.*“

logicae cognosci possit. Hac disciplina, quae directe vitam ecclesiae attingit, theologia vitalem suam agendi vim, suamque consociandi et societatem servandi, provehendique potestatem comprobet, necesse est, indeque demonstret, utrum ipsa originem traxerit e vita ecclesiastica, annon. Re vera etiam libri illi laudati testimonium prae se ferunt de ingenio recentioris theologiae, de fine, quem sibi proposuit, et de ratione, quae intercedit inter eam et controversias tempore nostro de conditionibus, in quibus ecclesia viget, exortas; nimirum de natura ecclesiae ipsa, de professione ejus publica, de munere in ea, et de ceteris actionibus ejus vitalibus. Qui rem accuratius consideraverit, libenter agnoscet, quantos progressus theologia, *Schleiermachers* praeunte, hoc respectu fecerit.

Ob hanc vero causam minus mihi videtur practicae theologiae cultoribus id laudi dari posse, quod disciplinam nostram ad artem et praecepta revocarunt, quam illud, quod opera eorum, inde a *Schleiermachers* usque ad *Liebnerum*, magis magisque documento sunt, totam doctrinam nostram omnino pendere ex notione ecclesiae recte constituenda. Quum autem potissimum in hac notione definienda theologos nostri temporis dissentire constet, mirum non est, hucusque in constituenda et construenda practica theologia nondum omnium in unum omnino congruere sententias. Scientia theologica etiam nunc nimis arbitrariis sive subjectivis de ecclesia sententiis nititur, et minus adhuc studet imaginem illam vitae ecclesiasticae exprimere, quam ex verbo divino haustam symbola ecclesiae nostrae prae se ferunt, quam ut jam practicae possit gignere theologia, quae re vera ecclesiae evangelicae conveniat, cum eaque congruat. Inde etiam facile intelligitur, cur theologi plerumque adhuc nimis de-

lectentur ornatu et artificio doctrinae, atque cur disciplina nostra nondum illam in praxin ecclesiasticam vim exercuerit salubrem, quam jure meritoque obtinere debeat et possit.

Quum vero mihi persuasum sit, universam theologiam, et prae ceteris partem ejus extremam niti fundamento verbi divini et fidei, quam ecclesia publice profitetur, meo judicio luce clarius est, theologiam practicam constitui et excoli non posse, nisi in usum unius ex ecclesiis in coetu christianorum exstantibus. Id etiam a *Schleiermachers* (*), *Marheineke* (**)) et aliis agnatum et pronuntiatum est, nihilo tamen minus huic sententiae potestatem non concesserunt, quae ei necessario tribuenda est, sive naturam ecclesiae et vim symbolorum respicimus, sive historiam indagamus et conditiones, quibus ecclesia praesentem suum statum assecuta sit, et quibus deficientibus eum incolumem tueri non possit. Hoc destructo fundamento, in qua alia re theologia practica inniti possit, non perspicio. Vinculo enim disrupto, quo publicae professioni ecclesiae adstricta est, nihil ei relinquatur, nisi ut confugiat ad varias theologorum scholas. Hac re autem non solum doctrina theologica, sed etiam ecclesia Protestantium ipsa in ditionem potestatemque uniuscujusque scholae redigitur, neque impediri potest, quo minus illa ad libitum de doctrina publica, de cultu, aliisque ecclesiae actionibus statuat. Quum autem hac ratione theologi et clerici suo imperio fidem subiciant, cujus ministri habendi sunt, ecclesiae imponunt jugum institutionum ab hominibus decretarum, quam servitudinem indignam ecclesia evangelico-lutherana ab initio recusavit, et semper recusare debet, ut

*) I. I. §§ 272. 273. 338.

***) I. I. § 13 pag. 11.

jus suum veritatem divinam libere profitendi tueatur. Nequaquam theologi, sed ecclesia ipsa habet vim et potestatem condendi praecepta et normas, secundum quas munus ecclesiasticum gerendum sit. Practica theologia tum demum hujus auctoritatis particeps fit, quum animum et fidem ecclesiae spirat, i. e. quum toto animo et omni studio se ipsam fundat et exaedificat in fundamento verbi divini et confessionis ecclesiasticae.

Hanc saltem persuasionem, nostris diebus nimis neglectam, sequens, practicae theologiae systema e natura ecclesiae derivare et delineare conabor, licet tanta sit virorum auctoritas, qui de methodo doctrinae nostrae commentati sunt, ut Iliadem post Homerum scribere videar, qui similem suscipere laborem velim. In persequendo autem hoc proposito, memor illius Lessingii dicti pernoti*), meum esse puto, quae nostra aetate edita sunt hujus generis opuscula, perlustrare et recensere. Inter ea *Schleiermachers* librum praestantissimum, neque minus virorum clarissimorum, qui eum secuti sunt, ut *Nitzschii***), *Schweizeri****) et *Liebneri* †) scripta excellere constat ††). In aestimandis autem his libris operam navabo, ut eos ex principiis, quibus

*) „Man ist in Gefahr sich auf dem Wege zur Wahrheit zu verlieren, wenn man sich gar nicht um seine Vorgänger bekümmert, und man versäumt sich ohne Noth, wenn man sich um alle bekümmern will.“

**) *Observationes ad theolog. practicam feliciter excolendam.* Bonnae 1831.

***) *Ueber Begriff und Eintheilung der praktischen Theologie.* - Leipzig 1836.

†) „Die praktische Theologie“ (*Stud. u. Kritik.* 1843, fasc. 3. inde a pag. 629; et 1844, fasc. 1. inde a pag. 77).

††) *Marheinekii* librum supra laudatum non respicio, quia ambitu hujus dissertationis impediatur, quo minus prolixius et diligentius, ut meretur, hanc peculiarem adumbrationem dijudicem, quae prorsus aliis principiis regitur, quam illa alia opuscula.

nituntur, intelligam; ut inquiram, quae ratio quum inter eos ipsos, tum inter eos et ecclesiam evangelicam intercedat; utque denique indicem, quatenus ex illis praxi ecclesiasticae eveniant commoda aut incommoda. Quod si nobis contigerit, jam inde vera fundamenta theologiae practicae aliqua ex parte nobis innotescant, et deverticula patefiant, quae cuique disciplinam nostram constituenti evitanda sint.

Haec praefatus rem ita aggrediar, ut primum in constituendis notionibus principalibus disciplinae nostrae, et in dijudicandis opusculis huc spectantibus *Schleiermachers* librum pro fundamento ponam, atque deinde meam practicae theologiae exaedificandi systematis viam et rationem delineem. In duas ergo dissertatio nostra discedit partes.

quae servato ordine in hac parte priore accuratius dijudicare constituimus.

Pars prior.

Non temporis solum ratione, sed potius auctoritate et gravitate ex theologis aetatis nostrae de practica theologia bene meritis primus habendus est *Schleiermacher*, cujus vestigiis omnes fere subsequentes theologos ingressos esse constat. Quo prolixius et diligentius ejus librum supra laudatum examinaverimus, eo breviores esse poterimus in censendis ceterorum sententiis, quippe qui, mutatis mutandis, iisdem adhaereant principiis.

Hic, quem nominavimus, theologus primus saeculo nostro theologiam a misera conditione liberandam suscepit, quam illa exeunte saeculo praeterito sortita erat, eique simul amissam dignitatem et potestatem doctrinae liberae, ceteris literarum disciplinis genere aequalis, restituit. Demonstravit enim primus, omnem theologiam cum vita ecclesiae ipsa cohaerere, ideoque positivam et practicam esse totam. Docuit deinde, arcetissimo necessitatis vinculo partem ejus maxime neglectam, quae proprie practica appellari solet, cum ceteris partibus esse conjunctam, et nihilominus sui juris esse hanc disciplinam, cujus singula membra primus interna necessitudine ex summo quodam et proprio principio derivare conatus est. His tribus capitibus etiam designata sunt,

Cap. I.

Quid et qualis sit theologia, inquiritur.

I. Quamquam satis laudari non potest *Schleiermacher*, quod universam theologiam quasi in patriam et ad lares restituit, quum violatam amicitiam et necessitudinem, qua cum ecclesia vivente et agente juncta esse debet, reconciliaret, tamen ipse hanc conjunctionem ratione nimis externa exponit, quod fontem, ex quo omnes profluant disciplinae theologicae, et vinculum, quo omnes contineantur, non ecclesiam ipsam haberi vult, sed tantum notionem regiminis ecclesiastici. Ex illius theologiae definitione, quam § 5 protulit, nihil fere discimus de singulari hujus doctrinae argumento sive objecto, et de propria ejus vi atque natura. Haec ipsa nobis non describitur, nisi ab exterioribus partibus, et omnes theologiae disciplinae adeo solo regimine ecclesiastico in unum coguntur, ut, secundum § 6, eadem studia, nisi ecclesiae regendae causa tractentur, omni vinculo destituta quoquo versus dilabantur et theologica esse desinant.

Quamquam *Schleiermacher* initio institutionis suae rectissime ponit, theologiam et ecclesiam inter se arcetissimo nexu conjunctas esse debere, tamen mox propter notionem ecclesiae nimis externa ratione constitutam eo abducitur, ut laedat indolem theologiae, qua cum ecclesia et cum literis cohaeret. Nam una ex parte inde sequitur, theologiam non nisi veritate divinitus revelata et ab ecclesia credita

atque praedicata, tanquam objecto suo, sed potius in subjectis positam esse, i. e. in oppositione, quam *Schleiermacher* statuit inter rudem multitudinem eorum, qui reguntur, et viros regiminis ecclesiastici compotes (§ 3). Quo facto ecclesia statim primo impetu in ditionem et potestatem theologiae et theologorum redigitur, quod minime, ut infra videbimus, ad eam juvandam sit idoneum. Altera ex parte theologia auctoritatem et dignitatem scientiae eo ipso momento amittit, quo auctor hanc ei vindicare et servare conatur. Nam male sui juris esse theologiam demonstrat, et qui eam a toto literarum systemate sejungit, et qui tantum propositum, quo theologia tendat, atque utilitatem, ad quam referenda sit, respicit. Huic primordio libri supra dicti etiam adscribendum est, quod omnis theologia, et praecipue practica in eo inter methodum cognoscendi abstractam et empiricam anceps jactatur, ut a *Schweizero* quoque agnitum est.

Sine dubio *Schleiermachero* assentiendum est, in explicatione § 5 contententi, scientiam theologiam ex religione ipsa directa via derivari non posse, quum fides christiana per se spectata ejus minime egeat. Fides neque crescit argumentis in doctrina versantibus, neque decrescit iis vel destituta vel impugnata. Altera vero ex parte tenendum est, theologiam utique fidei egere, ita ut haec, tanquam nervus vitalis cuncta hujus corporis membra penetret; neque eum jam naturam et necessitatem doctrinae theologicae demonstrasse, qui tantum rationem indigitaverit, quam haec ad regimen ecclesiasticum habeat. Scientia theologica potius originem suam duxit e cogitandi et intelligendi desiderio mentis humanae, et inde, quod hoc simul cum fide consociatum est. Ob hanc rem theologia, uti unaquaeque doctrina,

duabus causis gignitur et procreatur, quarum altera est objectum ipsum, certum et constitutum, altera vero appetitus mentis humanae, quo ad studia et doctrinam impellitur. Quamquam his conditionibus, sine quibus nulla doctrina esse potest, scientia sacra omnibus ceteris omnino aequiparanda est, tamen ab illis differt atque sui fit juris ac judicii et objecto, quod ad eam solam pertinet, i. e. fide ecclesiae christianae, et peculiaribus cognoscendi principiis, huic objecto innatis.

Neque tamen haec, de qua agimus, causa psychologica per se jam sufficit ad theologiam procreandam. Id quod animo humano insitum est et absconditum latet, patefit et agere coepit per ecclesiam in hoc mundo viventem, agentem, et se ab erroribus defendentem, quibus impugnatur. Scientiae ergo theologicae existenti et exstanti ratio inest psychologica et causa historica. Ipsa jam una est ex actionibus ecclesiae vitalibus, qua id agit, ut illi, quibus docendi provincia in ea mandata est, fidem ipsius ad artem et praecepta revocent, eam tueantur, pro eaque propugnent. Inde sequitur, theologiam non ob eam tantummodo causam scientiam ecclesiasticam appellari posse, quia ejus disciplinae ad regimen ecclesiasticum referantur; sed etiam magis propterea, quod fidem ecclesiae argumentum habeat, et ex vita ecclesiae originem ducat. Tum demum, quia et quatenus ejusmodi est generis, re ipsa probatur, eam etiam ad ecclesiam regendam, servandam et provehendam conferre posse et debere.

Si autem, nescio quo jure, nervus ille abscinditur vel modo laeditur, quo theologia fidei ecclesiae adstricta est, nullis aliis commodis et remediis sanari potest incommodum inde ortum, imo augetur, etsi postea omnibus viribus eam

summa necessitate cum regimine ecclesiastico copulare velimus. Quo magis anxie atque sollicite hic nexus solus servatur, eo acrius se ipsum vindicat violatum illud theologiae ingenium, eoque magis ejusmodi theologia usurpatrix evadit, quae detrectato ecclesiae imperio, ipsa in ecclesia imperium occupare studet. Inseruntur enim ei elementa partim arbitraria sive subjectiva, partim mere empirica, quibus scientiae pariter atque ecclesiae libera natura simul in jure suo interpellatur. Quantameunque industriam et operam aliquis impendit ad ecclesiam hujusmodi theologiae auxilio regendam, nihilosecius vel perdita est, si ecclesia satis virium habet ad resistendum, vel nocet, si ecclesia deficientibus propriis viribus ei succumbit. Quin etiam scientia sacra ipsa, a fide ecclesiae discedens, vigere nequit; nam destitutam alimentis parentis ecclesiae, Antaei instar, vires deficient, ipsaque emoriatur necesse erit.

II. Deinde vero, si in definienda theologiae notione tantum illa externa ratio respicitur, qua ad regendam ecclesiam sit accommodata, ne attributa quidem theologiae inde deducta, ut sit scientia **positiva** et **practica**, nativa et principali significatione sumi possunt.

Meo quidem iudicio *Schleiermacher* primum non satis accurate scientiam positivam ab empirica distinxisse videtur, quum illam (l. I. § 1) partim scientiae ex ideis haustae opponat, partim eam esse velit sciendi rationem ad usum practicum accommodatam. His praemissis deinde non intelligo, quid intersit ex ejus sententia inter notionem scientiae positivae et practicae, quum ob eundem finem, modo indigitatum, theologiae etiam nomen doctrinae practicae imponat. Quod ille ergo ad definiendam positivae scientiae notionem

huic opponit, eam a scientia empirica nondum discernit; neque illud, quod ponit, eam disjungit a practicis doctrinis.

E contra tenendum est, scientiam positivam minime alienam esse intelligendi modo ex ideis hausto, eamque huic opponi omnino non posse, quum in altera de prorsus alteris agatur rebus. Nam illic quaeritur, quid intelligendum sit; hic vero, qua via aliquid intelligatur. Ex eadem ratione etiam scientiae positivae imprimis non proprium est, ut sit ad usum quendam vitae adaptata vel adaptanda. Hoc enim postulatu jam finis respicitur, quum in constituenda illius notione solum objectum scientiae intentis oculis sit observandum.

Non magis ab omni parte satis perspecta est notio doctrinae practicae, si tantum definitur secundum finem, quem persequitur; nam, quamvis fine constituto, nihilominus saepissime minime practica esse potest. Ut scientia aliqua re vera ad vitae usum apta sit, necesse est, eam jam per se et natura sua practicam esse; et propterea etiam practica theologiae interna natura probanda, priusquam ostendatur, ad quem finem externum ea uti possimus. Aliter nec intelligi, theologiam totam esse practicam, nec pars ejus prior, quae theoretica dicitur, a posteriore, proprie practica appellata, accurate discerni potest.

Eo maxime mihi *Schleiermacher* peccasse videtur, quod, quamquam jure meritoque discrimen servari vult inter theologiam positivam, ecclesiae adjunctam, et rationalem sive mere speculativam (cfr. nota ad § 1), nihilosecius ipse theologiam rationalem et subjectivam, ex nostra de Deo conscientia deductam, proposuit et constituit. Ut vero, quamvis theologia ipsius cum illa intime conspiraret, tamen aliquod discrimen inter utramque retinere possit, nil aliud ei relin-

quitur, nisi ut confugiat ad finem externum, propter quem omnem theologiam nasci et exstare vult. Hinc necessario accedit, ut omnis ejus doctrina theologica anceps jactetur inter cognitionem arbitrariam et subjectivam, quae, ne vacillet, empiriae auxilio fulcitur et sustinetur, atque empiriam nudam, cui ipse diffidit, eaque de re eam critica ratione corrigere et supplere conatur.

Verumenimvero theologia fit scientia positiva propter objectum suum, quum tota versetur in investigatione veri, a Deo manifestati; practicae autem doctrinae vim obtinet imprimis ex singulari hoc objectum percipiendi via et ratione. Utrumque breviter exponam.

Revelationem divinam, verbum Dei, religionem et civitatem christianam, quum a Deo manifestata et tradita sint hominibus, neque arbitrio humano niti, neque „a priori“ constitui, vel ratiocinatione ex mente humana derivari ac produci posse, perspicuum est. Sunt enim haec omnia non minus facta, data et posita, quam res naturales, vel historia, vel civitas politica, et hac vi et potestate eorum servatis, cognoscenda, recipienda et intelligenda sunt.

Ne vero theologia in mera et simplici cognitione acquiescat, sed jure meritoque doctrinae nomen mereatur, sciendi artem et praecepta sequatur, necesse est. Ea de re in se conjunget sciendi rationem realem i. e. historicam et criticam, et idealem, ex ideis objecto insitis profluentem. Altera ab altera sejungi nequit: neque enim ullam doctrinam assequi possumus, nisi ex ideis rebus ipsis innatis; neque ideae nobis patefiunt, nisi pervestigata re ipsa.

Sed hoc modo theologus solum sciendi arti et legibus satisfecerit, et re vera demonstraverit, eas omnino non pugnare cum positiva sacrae doctrinae natura. Neque vero

hac via intelligitur, quo modo theologus ad veritatem divinitus manifestatam accedere, eamque in se recipere possit, vel quodnam sit vinculum, quo subjectum intelligens cum objecto intelligendo sit conjunctum. Id rursus ex sola objecti natura pendet. Propter singularem veritatis christianae assumendae modum, qui omnes intelligendi actus antecedit necesse est, omnis theologia fit scientia practica. Quia igitur positiva est doctrina, inde etiam fit practica. Quum enim revelata veritas divina minime sit mera doctrina, sed vis et vita, quae a Deo soli fidei praebetur, ejus compotes fieri non possumus, nisi assumendo et experiendo, quod in sola fide efficitur. In hac propria veritatis salvificae vi et natura, qua fit, ut tantum fidei experiendi se praebeat et dedat, utque sola fides ea potiatur, etiam summum principium omnium theologiae disciplinarum nititur. Itaque, quum in tota theologia vis et ingenium fidei vigeat, quoniam ex fide orta, fide impleta, ad fidem conversa est, inde fit omnis omnino practica.

Quum vero fides una sit, eademque, quam ecclesia christiana profitetur, quum ergo vera fides ab ecclesia ipsa sejungi nequeat, necessario sequitur, ejusmodi theologiam fidei cognatam ad rempublicam christianam servandam et provehendam, i. e. ad praxin ecclesiasticam bene fausteque administrandam jam per se maxime esse idoneam et aptam.

Sic igitur cum *Schleiermachers* consentire videmur, omnem theologiam positivam et practicam esse dicentes; sed dicimus hoc alia ratione et mente, aliisque causis permoti.

Nisi vero hae duae notiones ita definiantur, ut modo exposuimus, re vera theologia, quae dicitur theoretica, ab altera, quae stricte practica appellatur, secerni non

potest. Hac autem re ad secundum caput, supra designatum, perducimur.

Cap. II.

Exponitur, quid intersit inter theologiam theoreticam et practicam.

I. *Schleiermacher*, propriam vim et naturam theologiae practicae constituens, etiam hanc disciplinam deducit ex ecclesiae gubernandae notione. Quum enim ei omnis theologia ex hac radice nascatur, totaque ad ecclesiam regendam spectet, non potest non consummari illa disciplina, quae proprie circum agendi et administrandi modos artesque versatur, et scientia est de regenda ecclesia ipsa. (Cfr. §§ 11, 25 et 257.) Omnis igitur, ut *Nitzschius* (l. l. pag. 5) acute distinxit, theologia est „scientia ad praxin“, ad quam singularis „de praxi“ disciplina referenda*).

Desiit tandem theologia practica sola applicatione priorum theologiae doctrinarum constare, adeptaque est jura et dignitatem disciplinae propriae, qua ceterae antea excultae indigent, et in qua data opera de praxi ecclesiastica agitur, ita ut re ipsa simul probetur, theologiam omnem esse practicam.

*) Simili modo, exceptis tamen excipiendis, jam *Deylingius*, in Institutionibus suis prudentiae pastoralis (edit. Kuestnerianae, Lips. 1766, pag. 2) notionem practicae theologiae definivit: „Theologicam ejusmodi prudentiam „vocamus habitum practicum, non tam ratione finis, (1 Timoth. 4, 12: „ubi minister verbi typus et exemplum gregis sibi commissi esse jubetur), — „sic enim omnis theologia est practica, si non formaliter, tamen virtualiter: „quam ratione objecti, quod sunt τὰ πρᾶξι, res muneris sacri, sana „doctrina, pia vita, et actiones, tum pastoris, tum auditorum, quatenus rite „instituentur, ut Deo summo, Ecclesiae Inspectori, ne displiceant.“

Quamquam distinctionem illam *Schleiermacheri* et *Nitzschii* aptissimam esse concedimus ad demonstrandum, practicam disciplinam nostram minime supervacaneam fieri, etsi omnis theologia practicae sit naturae, tamen minime sufficit ad constituendum, quae ratio inter utramque partem theologiae intercedat. Neque enim ea duce altera ab altera accurate discerni, neque priori parti jus suum tribui potest.

Quis est, qui neget, *Schleiermacherum* jure meritoque vocabula illa vulgo ad designandas ambas theologiae partes usurpata, rejecisse. Primum enim his vocibus nihil proprii de natura utriusque partis edicitur; deinde perspicuum est, ut *Nitzschius* recte adnotavit (l. l. pag. 5), totam theologiam esse theoreticam, haud exclusa practica ejus disciplina, rursusque totam esse practicam, etiam illam partem, quae stricte theoretica appellari soleat. Denique haec nomina orta esse constat illo tempore, ubi in universum viris doctis placuit cogitatione nimis abstracta separare, quae natura juncta sunt, et ubi nec theoreticae, nec practicae theologiae indoles probe perspecta fuit*).

Sed deletis vocibus nondum deletum est discrimen, quod iis denotatur, et quod re vera interest inter utramque theologiae provinciam. Quum *Schleiermacher* omnem theologiam in tres distribuerit partes: philosophicam, historicam,

*) Attamen jam *Andreas Hyperius*, Marpurgensis, qui primus vera fundamenta encyclopaediae theologiae jecit, atque egregie et accurate in IV Libris „de Theologo, seu de ratione studii theologici“ (Argentinae 1562) praecipue has theologiae partes, earumque nomina indigitare videtur, L. IV, pag. 562 his verbis: „Etenim quae ex indefessa scripturarum atque locorum communium tractatione quis consecutus fuerit, ea sic quodammodo licet accipere, tanquam „si ad θεωρητικὴν et contemplationem praecipue spectent; quae vero hoc „genere librorum (quorum antea auctor mentionem fecerat) comprehenduntur, „omnia ad actuosam vitam, hoc est, ad rectam ordinationem atque „administrationem, vel ad πράξεις (cfr. pag. 566) Ecclesiarum judicantur „apprime conducere.“

et practicam, demonstrandum ei fuit, priores partes versari circa aliquid certum et commune, eoque in unum coactas, parti posteriori oppositas esse. Sed ex ejus sententia parum liquet, quid et quale sit hoc, quod in illis unum idemque est; nihilosecius hac notione non definita practicae theologiae natura plane et absolute intelligi non potest*). Neque praestabit cum *Nitzschio* scientiam „ad praxin“ distinxisse ab altera „de praxi.“ Partim enim inde nondum discimus, qualis illa ad praxin scientia sit, partim idem nomen quoque ad theologiam practicam referendum est, quae simul sit scientia ad praxin et de praxi, eaque de re ejusmodi distinctione a theologia philosophica et historica plane nondum sejungi possit**).

Multo minus discernendi viam, quam *Schweizer* proposuit***), sumto a subjecto theologiae discrimine, inire

*) In eadem nobiscum stat sententia *Liebner*, quum commentationem suam de practica theologia („*Studien und Kritik*“ 1843, fasc. 3, pag. 629 sqq.) his verbis incipiat: „*Die praktische Theologie hat zuerst ihre organische Stelle im Begriff der gesammten Theologie als der Wissenschaft von der christlichen Religion auszuweisen, womit dann zugleich ihr eigener wahrer Begriff gegeben ist. Wenn nämlich klar wird, welches Stadium sie in der innern Bewegung des Begriffs der Theologie einnimmt, wie die andern Theile auf sie organisch hintreiben, sie fordern, um sich in ihr selbst abzuschliessen, und sie wiederum die anderen sich nothwendig voraussetzt, sie aufnimmt, — so ist sie sich eben damit selbst klar.*“

**) Quamquam *Nitzschius* (l. l. *Observ.* 1, pag. 5), quod postulamus discrimen his verbis indicat: „namque aliud est, agentem et ministrantem in ecclesia idonea ad judicandum praesentem statum facultate, tam philosophica quam historica, praemunire, aliud, agendi modos tradere et ministrandi artes,“ tamen in eo mihi errasse videtur, quod se jam satis priores doctrinas ab hac postrema sejunxisse existimaverit, si modo illae „scientiae ad praxin“, haec „scientia de praxi“ appellentur.

***) Libro supra laudato pag. 19 et 20 haec leguntur: „*Die Theologie besondert sich in ein Gebiet, wo das Wissen über die auch da seienden Glaubensinteressen dominirt und überwiegend das bestimmende und lebendige wäre; und in ein Gebiet, wo die Glaubensinteressen sich unmittelbar geltend machen und über das auch vorhandene Wissen dominiren, es also anwenden (?) und für praktische Zwecke benutzen (?). Jenes wäre der sogenannte theoretische Theil,..... dieses aber das Gebiet der*

licet, quum ea duce neque alteram theologiae provinciam ab altera acute distinguere possimus, neque, re accuratius perspecta, ad theologiam practicam ipsam perveniamus, sed potius ad praxin pastorem, vel, ubi plurimum, ad applicatam illam et popularem, de qua supra locuti sumus, theologiam. Sicuti jam demonstravimus, omnis omnino theologia est scientia, quae in omnibus partibus suis fide nititur. Ex quo emergit, partem ejus theoreticam non minus fidem attinere, quam practicam; neque hanc minus sciendi praecepta sequi, quam alteram. Optime igitur *Sackius* huic theologo objecit: „*Wo wirkliche, organisch verbundene Theologie ist, ist dieses Ueberwiegen von Glauben oder Wissen nach Disciplinen immer nur Schein.*“*)

praktischen Theologie.“ Ut hoc loco, sic fere in omnibus practicae theologiae articulis *Schweizer* mihi *Schleiermachers* sententias minime emendasse videtur, quum haud raro principiis et notionibus a *Schleierm.* constitutis ita utatur, ut eas e loco, quo inclusae sunt, removeat, limitesque, quibus contineantur, dilatet et augeat. Ita etiam ad hanc, de qua agimus, rem definiendam haud feliciter adhibuit discrimen, quod *Schl.* (l. l. §§ 9 et 10) inter theologum et clericum posuit. Accedit insuper, quod hac inita via perfacile error ille, a *Schleiermacher* jam profligatus restituitur, ac si disciplinae nostrae potestas in applicatione theologiae theoreticae posita sit. Conferantur etiam, quae optime *Schweizer* repositit *Grafius* l. l. inde a pag. 141, ubi his perorat verbis argumentationem suam: „*Die praktische Theologie ist nicht da, weil es ein überwiegend praktisches Interesse in der Theologie giebt, sondern jene und dieses sind da, weil die Kirche eine sich selbst erbauende ist*“; et anonymus commentationis *Schweizerianae* censor in *Tholuckii „Litter. Anzeiger“* 1836, Nr. 71, pag. 567: „*Beide Interessen. recte ait, sollen vielmehr so innig von einander durchdrungen sein, dass keines das andere überwiegt; und wo dies doch sich fände, da wäre vielmehr auf eine krankhafte Ausartung zu schliessen.... Die praktische Theologie hat als Wissenschaft vielmehr eben so wie die theoretische Theologie ihr Interesse auf das Wissen gerichtet, nur freilich auf ein besonderes Wissen nicht sowohl von dem Objekt des Glaubens, als vielmehr von der Methode des Glaubens; sie fragt nicht sowohl nach dem Dass, sondern nach dem Wie.*“ Quibuscum etiam conferri possunt, quae *Zyro* judicavit in commentatione inscripta: „*Versuch einer Revision der christl.-theologischen Encyclopädie*“ („*Stud. u. Kritik*“ 1837, fasc. 3, pag. 713).

*) In: „*Studien und Kritik*“ 1839, fasc. 2, pag. 570: „*Uebersicht der Litteratur der praktischen Theologie von 1832 bis 1836.*“

II. Tantum abest, ut theologiam tractanti, prout naturae facultatibus aut inclinatione voluntatis propensus sit vel ad scientiam, vel ad praxin, potestatem tribuamus provincias theologicas constituendi secundum rationem, quae ipsi cum objecto intercedat, ut hoc objectum ipsum i. e. ecclesiam sequamur necesse sit, ubicunque utriusque theologiae partis indolem vere cognoscere, et de ejus necessitate rationem idoneam reddere interest. Prae ceteris ad veritatem accessisse mihi videtur, *Grafio* praecedente (l. l. pag. 125 sqq.), *Liebner* in commentatione supra laudata; qua re cum iis, mutatis tamen mutandis, non consentire non possumus.

Jam supra demonstravimus, theologiam unam ex actionibus viventis et agentis ecclesiae esse. Ecclesia vero scientiam non procreat eo consilio, ut haec ipsam deserat, suumque quoddam institutum sequatur, sed ut conferat ad vitam ecclesiae intelligendam, servandam et provehendam. Quae quum ita sint, theologia unde egressa est, eodem se referre debet; indeque facile jam apparebit, eam necessario duplici facie uti, quarum altera ad ecclesiam parentem, altera ad denuo eam excipientem ecclesiam conversa, cum eaque conjuncta sit. Vel potius, si ecclesiam, ut par est, spectamus, res ita se habet. Unoquoque momento ecclesia partim jam nata et absoluta, partim nascentis et futura haberi debet. Praesens ejus status e tempore praeterito ortus est, imprimis ex illo divino actu, quo nata et procreata est, deinde etiam e fatibus et conditionibus internis et externis, quae experta et quibus hucusque exulta est. Simul vero praesens ecclesia ad finem sibi propositum progrediatur necesse est, eoque nascentis et futura fit. Altera ex parte igitur ecclesiae est, indagare et intelligere unde generata sit, quo tendat, et quibus casibus jactata vel quibus

adjuvantibus causis ad statum, quem nunc tenet, pervenerit; altera ex parte curare et prospicere, ut se ipsam servet, emendet et promoveat, sive ut se exaedificet (*οἰκοδομη*). Quae vero intercedit ratio inter ecclesiam nascentem et natam, eadem etiam est inter utramque theologiae provinciam. Prior enim theologiae pars eo constituitur, quod illa primum scientia est de fide et vita ecclesiae fundatae et hucusque exstantis. Hoc fundamento strato deinde se referet ad ecclesiam viventem et futuram, indeque fit scientia de ecclesia aedificanda, vel se ipsam aedificante. Dum igitur haec posterior theologiae pars aedificans nominari potest, illam priorem, puta exegeticam, historicam et systematicam, fundamentalem esse, re ipsa patet.

Hac inita via clarissime patebit, scientiam sacram et ecclesiam summa necessitate et reciproca ratione consociatas esse. Ex ecclesiae vita procedens ad eamque contendens, tota theologia omnibus numeris continetur ab ecclesia vivente, quae contra ipsa, quasi respirando, in priore theologiae parte animam reddit, ac per vices eam recipit in posteriore. Simul hinc intelligimus ambas partes mutuo amplexu conjunctas esse et se invicem quaerere et poscere, servata nihilominus utriusque natura propria, a nobis indicata. Theologia fundamentalis enim, ne a proposito aberret, defluat necesse est a suis disciplinis ad aedificantem sive practicam, quae contra ut eo, quo velit, perveniat, disciplinis antea excultis egere omnino non potest. Neque enim ullo modo praesens ecclesia prospere administrari potest, nisi indagatis conditionibus praeteritis, unde hodiernus ejus status ortus est, et respectu proposito, quod jam huic statui insertum est, et absconditum in eo latet*). Disciplina igitur, de qua

*) Cfr. *Schleierm.* l. l. in explic. ad § 26: „Die Gegenwart kann nicht

agimus, nititur in priore theologiae parte, neque apparere potest, nisi haec antegressa est, cujus quidem interpres fit, quum eam revocet ad ecclesiam viventem et agentem, quae tum demum e gremio suo nova semina ministrat scientiae. Hac ratione omnia aptissime consonare videntur; quum disciplinae theologiae inter se, tum etiam scientia sacra et ecclesia vivens veluti conspiratione facta consentiunt, et ὁργανικῶς conjunctae sunt.

Sed ad *Schleiermacherum*, a quo deflexerat, revertatur oratio. Hic non solum non satis accurate utramque theologiae partem mihi distinxisse videtur, sed etiam, ut supra indicavimus, priorem harum partium non in parem juris conditionem recepit, ac posteriorem. Eo tantum, quod theoreticae theologiae dignitatem minuit, ei contigit practicam doctrinam in altiorem gradum promovere. Omnem enim theologiam comprehendens una notione, eaque notione principali practicae disciplinae, effecit, ut prior pars, amissa propria necessitate, adjumento sit posteriori, eique subjiciatur. Dum igitur olim disciplina nostra tantum appendix doctrinarum theologiae antea excultarum habita est, *Schleiermacher* eam ex hac servitute ita liberavit, ut quodammodo dixerit priores partes tantum introducendi et praeparandi causa adesse. Quo facto haud difficile fuit practicam theologiam in altum efferre locum. Itaque non possumus, quin assentiamur *Grafio*, l. l. pag. 138 judicanti: „Auf diese Weise liess *Schleiermacher* die praktische Theologie in ihrem bisherigen Zustande, bloss praktisch und bloss Anleitung

als Keim einer dem Begriff mehr entsprechenden Zukunft richtig behandelt werden, wenn nicht erkannt wird, wie sie sich aus der Vergangenheit entwickelt hat.“ Qui ergo in agendo vim suam ponere vult, praesens momentum ex praeterito intelligat, neque finem ejus negligat, oportet. His omissis conditionibus quodque agendi studium non vere practicum, sed caecum et vanum est.

für den Dienst in der Kirche sein zu wollen, stehen, und zog die theoretische Theologie nur zu ihr herab, indem er derselben ihr rein wissenschaftliches, zunächst sich selbst genügendes Wesen entzog. Das Wahre wäre das Umgekehrte, das Hinaufheben der praktischen Theologie zur theoretischen gewesen.“ Quod ut assequeretur, et notio scientiae ei accuratius, quam factum est, definienda, et natura interior utriusque theologiae partis, qua cum fide et vita ecclesiae cohaereat, magis indaganda fuit. His vero neglectis principiis impediri non potuit, quo minus idem error in totam explicationem propagaretur; quo factum est, ut doctrina nostra neque juste et bene fundari et subtrui, neque systema ejus accurate adornari et extrui posset. De utraque re autem nobis in subsequenti- bus capitibus deinceps agendum est.

Cap. III.

Dissertur de fundamentis, in quibus theologia practica posita sit.

A. Theologiae practicae notio definitur.

I. Praeunte *Hyperio*, qui jam omnes praxis ecclesiasticae actiones gubernandi officio contineri existimat*),

*) Quarto enim libro operis supra laudati auctor, „eos, qui jam alii- quod judicium de doctrina religionis sunt adepti, exhortatur, ut lucubrationes „illas sumant in manus, quae complectuntur Ecclesiarum institutionem sive „πράξεις, atque ad gubernationem ecclesiasticam animos informant.“ Hac voce totam vitam actuosam ecclesiae comprehendi judicat, dicens: „theo- „logum iis quoque percipiendis animum debere intendere, quibus, quoniam

Schleiermacher quoque hac notione, eaque latissima significatione, omnia muneris ecclesiastici negotia copulari vult. Quae quum ita sint, disciplinam nostram scientiam *τεχνικὴν* de regenda ecclesia necessario habet, vel — ut ipsis verbis ejus utar — scientiam, „die es mit der richtigen *Verfahrungsweise bei der Erledigung aller unter den Begriff der Kirchenleitung zu bringenden Aufgaben zu thun hat.*“ (Cfr. l. l. § 260 et § 25.)

Imprimis huic definitioni obijciendum mihi videtur, quod notio, primo loco posita, externum tantum vinculum indicat, quo singulae ecclesiasticae actiones conjunguntur, et quod theologia practica, inde exstruenda, facillime in periculum incidit, ne rationem mere empiricam ineat. Imo haec ratio ponendi fundamenta doctrinae nostrae ipsa nihil est, nisi imitatio, quamvis abscondita, experientiae, quum, neglecta re ipsa et praetermissis principiis superioribus, statim e notione inferiore et supposita exoriatur. Minime initium disciplinae nostrae faciendum est a regimine, quod demum ecclesiae opus est ad implendas officii sui partes, et quo hoc consilio utitur, sed ab ecclesia ipsa, quae secundum practicam rationem suam, ut supra demonstravimus, disciplinae nostrae objecto est, vel ab ecclesia vivente et agente*). Neque vero haec exstat, ut rega-

„administrationem ecclesiasticam expedite tradunt, adjuvare Christi Ecclesias, atque consulere tam universae multitudini, quam quibusvis privatis poscentibus, recte queat.“ (Cfr. pag. 21, 561, 562 sqq.) Eadem etiam patent ex conspectu argumenti, huic libro quarto pag. 567 proposito.

*) Qua re *Liebnero* adstipulamur, l. l. p. 635 sqq. haec dicenti: „So breitet sich demnach der praktischen Theologie der Begriff der Kirche unter, ist ihr Anfang und Ziel, und man kann sagen: ihr Inhalt sind die kirchlichen Thätigkeiten, wenn diess nur hier an der Wurzel wesentlich in diesem subjectiv-objectiven Sinne gedacht wird, nämlich Thätigkeiten der Kirche an ihr selbst, die von der Kirche ausgehen und auf sie zurück-

tur et administretur, sed ut se ipsam intrinsecus et extrinsecus aedificet*), donec perveniat ad finem illum, quem *Apostolus ad Ephes. IV, 13* his verbis describit: *μέχρι καταστήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἐνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ.* Num hoc fiat regiminis ope, an alio modo, nihil refert, quum, antequam haec proponatur quaestio, notio *τῆς οἰκοδομῆς* constituenda, neque non exinde actiones ecclesiae se ipsam aedificantis derivandae et definiendae sint. Aedificando enim ecclesia totam vitam suam actuosam continet, manifestat et tuetur. Omnibus actionibus suis, nulla excepta, aedificando normas constituit, secundum quas intelligantur et exercentur, et fines terminosque ponit, quibus definiantur. *Πάντα*, enim ait *Apostolus* *epist. I. ad Corinth. XIV, 26*, *πρὸς οἰκοδομὴν γινέσθω* et rursus *ibidem X, 23*: *πάντα (μοι) ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ* et alibi saepissime, ut ex. c. ejusdem epistolae *Cap. XIV, 12*; *ad Ephes. IV, 12. 16. 29* cet.**). Quae quum ita sint, necesse est regimen quoque subjiciatur aedificationi ecclesiasticae, indeque demonstratur, quid et quale esse debeat.

Si autem regimini ecclesiastico primus cedatur locus in disciplina nostra, tum primum cavendum est, ne quid detrimenti capiat respublica sacra, neve Romanorum more omnes ecclesiae actiones pendere ex regiminis vel regentium pote-

gehen, in denen sie sich selbst setzt.“ In eadem etiam sententia de objecto practicae theologiae stat *Grasius* l. l. pag. 126.

*) Quod verbum eadem et plena significatione sumi volumus, qua scriptores sacri vocula *οἰκοδομεῖν* utuntur.

**) Ita etiam *Chrysostomus* („περὶ ἱερωσύνης“ L. VI, C. 4) postquam de variis sacerdotii officiis diserte locutus est „πάντα, ait, καὶ ταῦτα τὰ διάφορα εἰς ἓν τέλος ὄρα, τοῦ Θεοῦ τὴν δόξαν, τῆς ἐκκλησίας τὴν οἰκοδομήν.“

state cogantur. Deinde non perspicio, unde sumatur fundamentum et norma ad definiendam regiminis notionem, per se incertam, latissimamque. Cujusvis enim arbitrio exposita haec, de qua agimus, notio modo nimis arcta, modo nimis lata significatione intelligetur. Equidem nescio, quo alio modo theologus ex his angustiis se expediat, nisi ut confugiat ad empiriam, et singulas, quae oculis cernuntur, actiones tantummodo in certas classes describat et disponat, ut *Schleiermacher* quoque § 260 l. l. se fecisse confitetur. Id autem neque scientiae neque ecclesiae conducit. Denique ex ejusmodi disciplinam nostram derivandi ratione sequitur, convenienter etiam singulas ejus partes eadem via constituendas et discernendas esse. Suo autem loco videbimus, hunc disponendi modum, e subsidiis sumtum, quae eo deducunt, quo singulae actiones tendunt, minime sufficere ad quaestionem propositam solvendam.

Neque ab hoc judicio nostro desistere possumus, si diligentius examinamus, quae *Nitzschius* (l. l. pag. 4—9), disertissimus sine dubio sententiae *Schleiermacherianae* patronus, hac de re protulit argumenta. Licet enim ei adhuc concedamus, omnem pastoralium actionum potestatem positam esse in regimine, quo omnes copulari existimat, tamen non perspicio, quidnam hoc ad rem afferat, quum minime imprimis de ea notione constituenda agatur, qua varii pastoralis negotii actus in unum conjungantur, sed potius vinculum quaerendum sit, quo vitales ecclesiae actus ipsi jam per se comprehendantur*), deinde subsidia statuenda sint,

*) Quam quaestionem *Nitzschius* ipse attingere videtur, si l. l. pag. 7 proprium et primum illud, quod in pastoratu ante alia spectandum sit, nihil esse vult „nisi facultatem dirigendae vitae in ecclesia actuosae ad scopum suum“, et si eadem pagina recte dicit, ante institutionem pastoraalem constare oportere, „quid et qualis ecclesia sit.“

quibus paratis et adhibitis ecclesia aedificetur*), priusquam de certis agendi modis et regendi artibus sermo fieri possit.

Quum enim, *Nitzschio* non dissentiente, theologia practica non in sola institutione de munere clericali rite administrando posita sit; quum insuper ipse, quem nominavimus, theologus optime l. l. pag. 10 praeceperit, „pastorales actus ex ecclesiae actibus vitalibus derivari oportere“**); inde etiam apparet, primum illud et proprium, quod primum in definienda disciplina nostra spectandum sit, non esse agendi modos et formas, neque vinculum illud externum, quo haec varia negotia copulantur, sed actiones proprias ecclesiae se ipsam aedificantis, tum separatim consideratas, tum conjunctim spectatas ea notione duce, qua omnes intrinsecus quam arctissime colligantur. Ejusdem igitur sumus cum *Grafto* sententiae, qui l. l. pag. 129 dicit: „*Was aber die Hauptsache bleibt: die praktische Theologie ist nicht eine blosse Formenlehre, sie beschreibt die sich selbst erbauende Kirche*“***).

Sed ponamus, haud respecta hac primaria practicae theologiae vi ac potestate, eam proprie nihil esse nisi nudam institutionem de munere in ecclesia administrando, ideoque eam versari tantum in agendi modis et artibus, ne tum

*) Quae res, quamquam gravissimi sit momenti, vel prorsus negligitur in adumbrationibus practicae theologiae, vel paucis percurritur (et perquam leviter attingitur, excepta tamen quodammodo *Liebneri* commentatione.

***) Etsi *Nitzschius* regiminis notioni primum in disciplina nostra designaverit locum, nihilo tamen minus non ex hac sua primaria notione actus pastorales derivat, quod quidem omnino non potuit, sed ex ecclesia vivente et agente.

****) Quae quum ita sint, *Schleiermacher*o adstipulari non possumus, § 260 l. l. judicanti: „*Die praktische Theologie will nicht die Aufgaben richtig fassen lehren; sondern, indem sie dieses voraussetzt(?)*, hat sie es nur zu thun mit der richtigen Verfahrensweise bei der Erledigung aller unter den Begriff der Kirchenleitung zu bringenden Aufgaben.

quidem, ut infra demonstrabimus, „regiminis“ voce natura hujus officii vere indicatur, neque cunctae ejus actiones plane comprehenduntur.

II. Priusquam autem hoc probamus, ad propositum nostrum notionem practicae theologiae definiendi propius accedamus necesse est. Qui vero accuratius hanc notionem definire, eamque certis finibus includere vult, caveat primum, ne in illum antiquum incidat errorem, quo disciplina nostra cum theologia morali permiscetur et tanquam pars ejus tantum habetur*). Non sufficiet ergo, in universum discrimen constituisse inter utramque theologiae provinciam, sed id quoque spectandum erit, ut praesertim omnes actiones piae vitae christianae, cuique ecclesiae membro competentes, tum etiam multo magis omnia officia et negotia vitae communis et quotidianae a scientia nostra excludantur et segregentur.

Quamquam id a plurimis practicae theologiae cultoribus agnitum et pronunciatum est, praecipue a *Schleiermachero*, *Nitzschio* et *Schweizero***), nihilo tamen minus primus, quem

*) Sic ex g. *Deylingius* nudis verbis l. l. pag. 1 et 2 prudentiam pastorem, ait, pertinere ad theologiam moralem, cujus tertiam, et quidem specialissimam partem constituere existimat, quae de prudentia quum singulorum ordinum et omnium christianorum in genere agat, tum singulatim de prudentia Pastorum atque Doctorum Ecclesiasticorum.

**) Ex iis, quae disputavimus, jam per se apparebit in practica theologia notissimae illi prudentiae pastorali, quam introducendam denuo *Zyro* l. l. pag. 723 opinatur, jam non esse locum. Postquam a *Schleiermachero* (l. l. § 308) reprobata est, etiam *Nitzschius* (l. l. pag. 14 et 18) theologos recte monet, ut missam tandem aliquando eam faciant. „Prudentia, ait, est e genere notionum ethicarum; jam sive distinguatur a sapientia sive minus, requiritur hand dubie ad nullum non pastoris negotium, ut sapienter prouderetque agat.“ Clericus enim in omnibus vitae generibus et conditionibus sic se gerere debet, ut quodque verum ecclesiae membrum decet. Nulla ergo exstat singularis pastoribus ethica, nisi quod pastori ejusmodi ordo vitae tenendus est, qui muneri ipsius et conveniat et faveat; de qua re utique suo

memoravimus, theologus disciplinam nostram certis et finitis limitibus non circumdedit, quum §§ 3 et 312 l. l. regiminis ecclesiastici notionem tam lata significatione, rejectis omnibus certis formis, sumi velit, ut in universum quamque actionem, fidem et vitam christianam spectantem, huc referendum esse existimet. Theologia autem practica, ejusmodi substructa principiis, in infinitum dilatetur, atque multa aliena in se recipiat necesse est. Equidem non intelligo, quibus rationibus, nisi mere arbitrariis et empiricis, ductus, *Schleiermacher* a proposito suo declinaverit, et solummodo academici doctoris et theologici scriptoris partes in adumbratione sua describendas curaverit (§ 528 — § 554). Eodem jure etiam institutionem et devotionem domesticam et scholasticam, conversationem privatam, consociationes christianorum liberas et quae sunt similia, respicere eum oportebat, quum etiam omnes hae actiones vim quandam exerceant in ecclesiam aut prosperam aut noxiam. His quidem propositis negare minime volumus, in practica theologia suo loco rationem constituendam esse, quae inter ecclesiam et omnia illa, de quibus disputamus, officia et negotia intercedat; id autem praecavendum erit, ne disciplina nostra obruatur singulis theoriis de doctorum vel scriptorum ecclesiasticorum officiis,

loco in theologia practica agendum erit. Cfr., quae *Sackius*, licet injuste *Schweizeri* sententiam in controversiam vocaverit, l. l. pag. 577 bene indicavit, et potissimum, quae prolixius et optime hac de causa dissernit *Schweizer* in commentatione inscripta: „*Ueber die wissenschaftliche Constructionsweise der Pastoraltheologie, oder Theorie der Seelsorge*“, in „*Stud. u. Kritik*“ 1838, fasc. 1, pag. 19—26, ubi inter alia haec leguntur verba: „*Der Missgriff „aber, alle möglichen Lebenssituationen und Thätigkeiten, in die nicht der „klerikalische Seelsorger als solcher, sondern jeder Christ und Mensch „überhaupt kommen kann, mit ins Pastoralgebiet hineinzunehmen, wirkt „grade hier um so schädlicher, als ohne dies schon die wirklich seelsorgenden „Situationen und Thätigkeiten zahlreich, ja unübersehbar genug sind, so „dass nichts weniger als nöthig ist, noch Fremdartiges hineinzuschleppen.*“

de liberis bene educandis, aliisque hujusmodi rebus, ut praedicandi, vel catechizandi theoriae justum et necessarium in ea tenent locum. Neque vero evitari posse videtur haec ingestio rerum alienarum, nisi limites doctrinae nostrae accurate constituti sint.

Schleiermacher quidem in exsequendis principiis suis sibi ipse non constat, potissimum in priore practicae theologiae parte. Postquam jam § 277 devotionem domesticam secluserit, in annotatione ad § 306, ubi de consociationibus christianorum liberis agit, hoc, ut ejus afferam verba, discrimen posuit: „*Die Aufgabe ist, dasjenige, was für die amtliche Wirksamkeit gehört und beständig fortgeht, z. B. das ganze Gebiet des Diakonats im ursprünglichen Sinn, von dem zu scheiden, was nur von dem persönlichen Verhältniss einzelner Leitenden auf einen Theil der Masse ausgehen kann.*“

Nescio qua permotus ratione *Schleiermacher*, qui supra „regiminis“ notionem latissima vi sumi jusserit, hoc loco a se dissentiens eam ejusmodi terminationibus finiri velit. Si constans fuisset, etiam in hac priore parte liberis singularum personarum actionibus locum assignasset, ut in posteriore (cf. §§ 312 et 332 sqq.) fecit. Si vero in hac parte liberam illam regendae ecclesiae potestatem silentio praeterire non potuit, cur eam omittendam censuit in priore parte? Vel potius, si eam hic praetermittere potuit et debuit, eadem causa etiam in posteriorem partem introducenda non erat. Nam certos illos fines et terminos, quos jure meritoque § 306 constituit, aut omnes singulae practicae theologiae disciplinae supergredi possunt, aut nulla. Nostro quidem iudicio in practica theologia, ut a morali accurate disjungatur, de ecclesiasticis tantum actionibus, strictiore hujus vocis

significatione, disserendum est, i. e. de illis actibus, qui nomine et auctoritate ecclesiae ab illis perficiuntur, quibus publicum munus et officium in ecclesia creditum est. In hac arctiore disciplinae nostrae definitione unius sumus sententiae cum *Nitzschio**), cui etiam *Schweizer*, *Grafus* et *Liebner* assentiuntur. Reliquum est, ut paucis eam probemus.

Quum nobis practica theologia scientia sit de actionibus ecclesiae se ipsam aedificantis, jam inde elucet, eam versari modo circum vitales actus ecclesiasticos, i. e. eos, quibus fides evangelica vel procreatur, vel servatur et promovetur, ex qua demum omnis vis et facultas ad implenda cetera, privata et libera vitae christianae bene degendae officia et negotia pendet et proficiscitur. Fides autem neque excitatur neque confirmatur et alitur, nisi sola vi et efficacia Verbi divini et Sacramentorum; „nam — optime ait *Augustana* nostra Artic. V — per Verbum et Sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur „*Spiritus Sanctus*, qui fidem efficit, ubi et quando visum est „*Deo*, in iis, qui audiunt Evangelium.“**) His rejectis vel

*) Attamen *Nitzschius* sibi non consentire videtur, quum altera ex parte (l. l. pag. 12 et 13) *Schleiermacher* laudi ducat, quod omnes actiones, sive definitae sunt, sive liberae et fortuitae, quibus ad statum ecclesiae vel depravandum, vel emendandum quaedam vis inest, in practica theologia introduxit, altera vero ex parte ipse (p. 10 et 16) optime praecipiat, hanc disciplinam tantum vitales ecclesiae actiones spectare; et in commentatione supra allata („*Stud. u. Kritik*“ 1830, fasc. 3, pag. 732) eam sic definiat: „*Wir verstehen unter praktischer Theologie die Wissenschaft von der unmittelbaren Leitung des christlich-kirchlichen Lebens.*“

**) Cfr. etiam *Art. XIII Conf. Aug.*; deinde ea, quae in *Apologia* hac de re pag. 196 sqq. (edit. *Walchianae*), aliisque locis leguntur, et potissimum dictum illud *Lutheri* in *Artic. Smalc.* pag. 327, quo, tanquam fundamento aere perenniori, omnis fides et vita evangelica inniti debet. „*Quare in hoc nobis est constanter perseverandum, quod Deus non velit nobiscum aliter agere, nisi per vocale Verbum et Sacramenta, et quod, quidquid sine Verbo et Sacramentis jactatur ut spiritus, sit ipse diabolus.*“ Praeclare hanc gravissimam quaestio-

modo neglectis gratiae divinae adjumentis, quae ex Dei voluntate constituta, nobisque parata sunt, ut iis utamur, fides neque exsistere, neque consistere potest.

Praedicatione Verbi igitur, et usu Sacramentorum ecclesia proprie se ipsam aedificat; et omnes ceterae actiones institutionesque, in quibus viventem et agentem se manifestat, ex illis actibus fundamentalibus exoriantur, ad illos dirigantur ac referantur, et circum illos versentur, necesse est, si eas, quantum fieri potest, ad aedificationem ecclesiae conferre velimus*). Ut autem fidem illam ex audito Verbo**) et

nem pertractatam legis in commentatione illa praestantissima *Harlessii*: „*Die Bedeutung der reinen Lehre von den Gnadenmitteln für den Begriff der Kirche, wie für die Seelsorge und das lebendige Christenthum.*“ Cfr. „*Zeitschrift für die gesammte lutherische Theologie und Kirche, herausgegeben von Rudelbach und Guericke*“, 1844, fasc. 4, pag. 1 — 25.

*) Id maxime practicae theologiae cultoribus quos memoravimus, exprobrandum est, quod omnes, *Nitzschio* et *Liebnero* non exceptis, summam necessitatem, qua fides cum illis institutis divinis juncta est, quibus solis Spiritus Sanctus datur et operatur, et propriam peculiaremque auctoritatem ac potestatem his institutis adhaerentem non, ut par erat, respexerunt, ideoque doctrinam et vitam, divinas institutiones et humanas, Verbum cum Sacramentis, et disciplinam formamque ecclesiae, nullo interposito discrimine, permiscuerunt et aequipararunt. Si *Grafius* alique theologi romani in eadem re peccant, id ecclesiae eorum, ab omni parte res divinas et humanas permutanti, crimini dandum est; neque illud vitium mihi emirandum esse videtur in theologis ecclesiae Reformatae, quibus etiam *Schleiermacherus* adnumerandus est, quum haec quoque ecclesia in nonnullis confessionibus publicis (ut: in Gallic. Art. 29, Belg. Art. 30, Helvet. poster. Art. 18; cfr. *Niemeyer* Collect. confess. in eccles. Reform. publ. Lipsiae 1840, pag. 336, 381, 505.) doceat et confiteatur presbyterialem ecclesiae formam divinitus institutam et sancitam esse, ideoque hanc politiam necessario ad veram ecclesiam pertinere contendit. E contra ecclesia Lutherana, consentiente divino verbo, gratiae divinae adjumenta ab institutis traditionibusque humanis distincte discernenda esse docet, illisque, tanquam conditionibus vitalibus, sine quibus ecclesia neque esse, neque vivere et agere potest, proprie potestatem fundandae et servandae ecclesiae tribuit. Cfr. prae ceteris Art. VII Conf. August. Quo majore jure ejusmodi distinctio ab ecclesia nostra constituitur, eo magis theologiae practicae cavendum est, ne discrimen illud exstinguat vel deterat.

**) „*Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς· ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ.*“
Epist. ad Rom. X, 17.

sumtis Sacramentis consequamur, „institutum est ministerium docendi Evangelii et porrigendi Sacramenta“ (Aug. Conf. Art. V). Vitales ergo ecclesiae actiones eae tantum sunt, quae pertinent ad Verbum divinum cum Sacramentis, et quae ecclesia sine munere ecclesiastico rite constituto publice exercere non potest. (Cfr. Art. XIV Aug. Conf.)

Quae quum ita sint, in theologiam practicam non introducendae sunt sine ullo discrimine omnes actiones, sive definitae, sive liberae sunt, si modo magis minusve ad promovendam ecclesiam conferant, sed potius, seclusis omnibus privatis et liberis piae vitae actionibus, eae tantum admittendae sunt, quae munere ecclesiastico definitae, nomine et auctoritate, ecclesiae exercentur, ideoque directa via ejus salutem, incrementum et munimentum adjuvant. Ut paucis dicamus: regiminis ecclesiastici, quam quaesivimus, notio arctior in eo posita est, quod circumscribitur certis terminis finibusque, sumtis a publico munere ecclesiastico ejusque functionibus*). Omnes vero privatae actiones, hunc modum excedentes, quae, etsi publice fiant, tamen publica ecclesiae auctoritate destitutae sunt, ad theologiam moralem pertinentes ex disciplina nostra omnino segregentur oportet**).

*) Ejusdem etiam sententiae est *Liebner*, in „*Stud. u. Krit.*“ 1833, fasc. 1, pag. 105.

**) Hoc ambitu doctrinae nostrae constituto omnino non possumus consentire cum *Kientenio*, qui, praecedente *Danzio* (*Encyclop. u. Methodol. d. theol. Wissensch. Weimar 1832*), ut jam in adumbratione sua encyclopaediae theologiae („*Encyclop. d. Wissensch. d. protest. Theol. Darmstadt 1845*, § 79 et §§ 83 — 85), ita etiam in singulari commentatione: „*Die Stellung der Apologetik und Polemik in der theol. Encyclop.*“ (*Stud. u. Krit.* 1846, fasc. 4, pag. 893 sqq.) in practicam theologiam scientiam Apologeticam et Polemicam introducendam censet, quum ex ejus sententia practicae sit theologiae, ut imprimis doctrinam, tanquam fundamentum vitae ecclesiasticae,

Omnia igitur una comprehensione complectentes, quae hucusque disseruimus de ecclesia vivente et agente, de fine ei proposito, et de subsidiis ei paratis, quibus ad vitam suam servandam, manifestandam et tuendam uti debeat, practicam theologiam ita denique definiendam existimamus, ut sit scientia de vita et actionibus ecclesiae se ipsam opera muneris publici aedificantis.

His peractis, reliquum est, ut ad quaestionem jam supra (pag. 31 et 32) indicatam revertamur, indagantes, num re vera — ut *Nitzschius* aliique theologi sibi persuasum habent — regiminis voce natura officii ecclesiastici probe indicetur, et cunctae ejus actiones plane comprehendantur? Quamquam nobis non est in animo de verbo disputare, modo rei ipsius vis et potestas retineatur, tamen ubi haec nobis laesa videtur, ne illud quidem silentio praeterire possumus. Qua re de origine et natura muneris in ecclesia publici disseramus necesse est, non solum ad solvendam quaestionem propositam, sed etiam ad penitus absolvendam, de qua agimus, practicae theologiae definitionem.

constituat. Quamquam laudi ducendum est *Kientenio*, quod denuo cum *Lieb-nero* constituentem et gravem doctrinae vim ac potestatem in ecclesia vivente et agente perspexit et agnovit, tamen in eo mihi errasse videtur, quod utramque theologiae partem confundens, nostrae disciplinae esse putat de doctrina ipsa statuere et dijudicare. Theologia practica non de constituendo objecto fidei et doctrinae agit, sed de modo et ratione praedicandi, communicandi et servandi doctrinam, quam constitutam, explicatam et probatam accipit a theoretica theologiae parte. Mihi ergo neque nexum, quo ambae theologiae provinciae junctae sunt, servare, neque limites, quibus practica theologia definita est, tenere, sed potius eam ingestis rebus alienis obruere videtur, qui Apologeticam et Polemicam scientiam in disciplinam nostram recipiendam opinatur. Non majore jure *Zyro* l. l. p. 713 et 724 *Statisticae et Geographiae ecclesiasticae* in practica theologia locum assignare vult, quum, ut addit, doctrina de propaganda fide iis indigere non possit. Hac vero ratione omnes ceterae theologiae disciplinae in nostram introducendae essent, quia haec iis omnibus, nulla excepta, eget.

B. Muneris ecclesiastici origo et natura examinatur et constituitur.

In notione muneris ecclesiastici constituenda theologos hodiernos saepissime a patrum ecclesiae nostrae sententia differre, quis est, qui nesciat? Dum autores Librorum nostrorum Symbolicorum omni opera enitentur, ut in hac doctrina simul Romanorum Scyllam atque Enthusiatarum Charybdin evitent*), plurimi theologi nostri temporis de hoc posteriore errore minus laborantes, omnibus viribus prius tantum effugere student vitium, ideoque originem muneris ecclesiastici inquirentes una fere voce et mente, *Schleiermachers* praeceunte, ad tritum illud discrimen delegare solent, quod naturali necessitate in unaquaque consociatione inter regentes et regendos reperitur, quorum illi magis communicando, hi magis accipiendo communionis participes sunt. Caveant autem theologi, ne, si stratam viam teneant, neque omne genus cautionis adhibeant, ad istud devorticulum abducantur, ex quo se evasisse putant; nam sola sacerdotii levitici fuga nondum ad veritatem pervenimus. Equidem non perspicio, quomodo, qui in via illa solita persistunt, in universum muneris ecclesiastici notionem constituere possint, vel, si hoc iis contigerit, quomodo impediunt, quo minus in aliam quandam hierarchiam incidant, non minus suspiciosam, quam illam Romanorum a se ipsis improbatam et repudiatam.

*) Cujus rei dilucidum exhibet testimonium ex gr. *Apologia Aug. Conf. in articulo „de numero et usu sacramentorum“* pag. 196 et 197 edit. *Walckiana*: „Sacerdotium intelligunt“ cet.

¶. Imprimis illi *Schleiermachers* sententiae*), secundum quam munus ecclesiasticum niti existimat in discrimine, quod statuit inter regendam multitudinem et regentia ecclesiae membra, objiciendum erit, quod discrimen hoc ipsum nimis inconstans, incertum et vagum est, quam ut in illo certus regendae ecclesiae status et ordo fundari possit. Primum enim quaerendum esset, penes quos posita esset potestas dijudicandi de vi et mensura fidei vitaeque spiritualis, ut inde appareret, quisnam pro tempore omnibus aliis antecelleret, iisque praefereendus esset. Quum ejusmodi iudicium omnino non in hominis potestate posita sit, nihil aliud restaret, nisi ut singuli se ipsos designarent, quotiescunque impetu Spiritus Sancti ad praedicandum, vel ad precandum et alia impelluntur. Deinde facillime eveniret, ut ii, qui nunc antecellunt, ideoque ceteros regunt, mox ab iis, qui reguntur, fide et dotibus superarentur; quo facto ordo constitutus semper everteretur et immutaretur. *Schleiermacher* sane his objicit: „*Förderung aber ist nur zu erreichen, wenn man die religiöse Kraft überhaupt und namentlich unter den Hervorragenden in der Gemeinschaft als zunehmend voraussetzt*“ (l. l. § 268); sed haec conjectura ipsa omni fundamento destituta est, nisi quis ad perversam illam opinionem confugere vult, qua spiritum sanctum iis adhaerere dicunt, qui ecclesiam regunt.

Positis ergo his conditionibus vel ad nullum constitutum et ordinatum ecclesiae regendae munus perducimur, vel tantum ad consuetudinem inordinatam, qualem apud Quakeros invenimus. Si vero *Schleiermacher* nihilominus ex praemissis suis clerum quendam certum et ordinatum deduxit,

*) Cfr. l. l. §§ 267 et 268; ejusque „*der christliche Glaube*“, edit. 3ae §§. 133 et 134, inde a pag. 351.

id minime ex illis sequitur, sed tantum ex statu ecclesiae empirico receptum est.

Theologus autem, quocum disputamus, in causam suam affert consensum membrorum ecclesiae parochianae (l. l. § 278), quorum voluntate illud discrimen, licet per se parum constans sit, in certum et definitum ordinem redigi contendit. Quamvis hoc libenter ei concedam, tamen nondum perspicio, quomodo inde muneris ecclesiastici origo ejusque propria natura derivari possit, quum hoc munus ipsum, priusquam ab ecclesia certis rationibus ordinetur, jam adesse et aliunde prodisse debeat. Ex duabus enim illis conditionibus praemissis, discrimine naturali et voluntate ecclesiae, nihil sequitur, nisi singulorum hominum facultas et jus muneris gerendi, nequaquam vero jam munus ipsum, quod minime unum idemque est neque cum facultate humana, qua quis idoneus fit ad officium administrandum, neque cum jure humano, secundum quod singulis personis auctoritas muneris gerendi adjungitur. Distincte ergo cum ecclesia nostra discernendus est ordo a munere ecclesiastico, quod jam ab Aug. Conf. Artt. V et XIV factum est, quum ubi utrumque confunditur, prava hierarchia vel multitudinis vel clericorum vitari nequeat*). Ecclesiae sane est, ordinem constituere, singulos ad munus gerendum eligere, vocare, ordinare, iisque ex sua voluntate certa jura, privilegia, et beneficia dare; potestas autem praedicandi verbum divinum, administrandi sacramenta, remittendi et retinendi peccata ne consensu quidem omnium hominum ex ipsorum voluntate et auctoritate creari aliisque tribui potest, nisi quis crimine

*) Cfr. *Marheinekius* l. l. §§ 109 et 110; et praecipue *J. W. Hoeflingius* in libro nuperrime edito: „*Das Sakrament der Taufe*.“ Erlangen 1846. P. I, pag. 12.

laesae majestatis divinae se adstringere vult, quum ejusmodi munus et auctoritatem hominibus dandi potestas solius Dei est (Marc. II, 7; Luc. VII, 49; Matth. IX, 8).

Si quis hanc, quam examinamus, viam eo consilio ingrederetur, ut ex. c. munus theologi academici constitueret, vix quisquam ei occurrere posset; neque vero ad intelligendam necessitatem, originem et naturam muneris ecclesiastici hac via perducimur. Ea enim aut ad vagum et incertum i. e. nullum pervenimus discrimen, aut ad absolutum et falsum, ideoque aut in consuetudinem Quakerorum inordinatam incidimus, aut ad ordinem clericalem deferimur. Muneris vero propriam potestatem et naturam hac deductione neque servatam et definitam, neque derivatam, et enodatam invenimus*).

II. Sepsita autem hac quaestione, altera exoritur: quam notione ecclesiae haec, quam ponderamus, muneris ecclesiastici deductio nitatur, cujusque indolis et naturae fiat munus hac ratione derivatum et constitutum?

1. Negari non potest, illam regendorum et regentium oppositionem, in qua *Schleiermacher* tota officii ecclesiastici origo et vis posita est, cum mente et doctrina ecclesiae Protestantium non consentire, quum, etsi summa constituatur cautione, semper aliqua ex parte vel hierarchicum illud discrimen inter populum et clerum oleat, vel Spiritualistarum

*) *Julius Müller*, quamquam *Schleiermacheri* sententiam comprobat, tamen nobiscum judicat: „mit jener Herleitung ist doch der innere Rechtsgrund der Vollmacht, welche der evangel. Prediger seiner Gemeinde gegenüber hat, noch nicht hinreichend bestimmt.“ Cfr. ejusdem „Zeugniss von Christo. Predigten etc.“ Breslau 1846, in praefat. pag. X. De iis vero, quae *Müller* ad supplendam *Schleierm.* sententiam in eadem praefatione attulit, infra nobis loquendum erit.

distinctionem inter Auditores et Perfectos*). Id jam inde apparet, quod hac ratione, neglecta pari omnium fidelium auctoritate sacerdotali, ecclesia eo ipso momento, quo nascitur, Romanorum more constare dicitur duabus partibus disparibus genere, una superiore praeecuntium, altera inferiore sequentium. Quae ergo huic sententiae subjecta latet ecclesia, non est ecclesia vera; divina voluntate jam fundata et nata, non est communio aequalis et libera fidelium, quae, respecta interna vi et natura, in se perfecta, una et sancta est, sed potius tantum ecclesia nascens et futura, sive illa Collegialistarum empirica, mixta et imperfecta hominum consociatio, quae ob eam causam muneris et regiminis indiget, ut ex statu suo nondum et nullo modo perfecto ad perfectum promoveatur, donec vera fiat ecclesia.

Luce clarius est, nos hac via necessario abduci aut ad Spiritualistarum, aut ad Romanorum sententiam, sive praesentem ecclesiae statum, sive summum ei in hac terra propositum finem respiciamus. Utrique enim in defectu et excessu errant, nimis neglecta vera propriaque ecclesiae natura, quam in praeclaro Art. VII Aug. Conf. jam delineatam legimus. Nam una ex parte ecclesiam sub legis vincula conjiciunt, eamque in statum inferiorem retorquent, quum iis exstans ecclesia nondum vera sit, sed tantum institutum, quo via ad veram ecclesiam paretur. Altera vero ex parte utrique eam tum demum veram fore docent, quum nullum amplius in ea exstet discrimen inter munus et communionem fidelium; ita tamen, ut alteri munus communionem absorberi velint, alteri summum perfectionis christianae

*) Uterque enim distinguendi modus ex eodem profluit fonte, et nomine formaque potius, quam re et natura differt.

gradum eum esse censeant, in quo omnes fideles aliquam attingant clericalem dignitatem.

Eadem etiam ex *Schleiermachi* principiis mihi sequi videntur. Si enim status ecclesiae empiricae nondum perfectus fons existimatur, ex quo munus ecclesiasticum originem suam trahat*), hoc statu sublato etiam munus sensim evanescat necesse est.

2. Simili modo hac, cujus censuram agimus, sententia vera et evangelica officii ecclesiastici natura laeditur. Quum ex ea, fere ut in levitico ministerio, munus personis alligetur, omniaque in singulis subjectis ponantur, impediri nequit, quin, amissa vera muneris notione et gravitate, ad hierarchicum dominatum vel regendorum, vel regentium abducamur. Omnis enim hierarchiae perversae origo nititur in commixtione muneris et personarum, sive, si liceat uti verbo, in illa transsubstantiatione rerum humanarum in divinas qua fit, ut vel populi vox, vel cleri, vox Dei existimetur. Primum illi, qui munere funguntur, in servilem traduntur membrorum ecclesiae ditionem et potestatem, si his consentientibus munus suum institutum et acceptum referre, eorumque nomine et auctoritate officii sui partes implere coguntur. In contrariam partem eorum, qui regunt, arbitrio ecclesiam expositam videmus, si, ut *Schleiermacher* l. I. § 259 praecipit, illis potestas datur regendi ecclesiam secundum ipsorum de religione et fide christiana opinionem, vel si norma et finis, ad quem ecclesia vivens provehenda sit, eorum consilio et sapientia constituitur, qui praeceant (§ 304, l. I.).

*) Quemadmodum expressis verbis *C. Schmidtus* quoque docet, qui in adornanda theologia practica potissimum *Schleiermachi* et *Nitzschii* instat principiis. Cfr. opusculum ejus: „de l'objet de la théologie pratique. Strasbourg 1845.“

Quisnam erit, his positis fundamentis, status ecclesiae? Cujusnam erit naturae munus ecclesiasticum? Nonne ejusmodi pastor ecclesias sibi, non Christo, pascet? Nonne eas ad sui, non ad Christi imaginem erudiet? Nonne novas scholas et sectas condet, nec vero ecclesiam Christi aedificabit? Quae quum ita sint, non intelligo, quo modo quis impediatur, quo minus his principiis ad sectarum vel hierarchiae praxin deducamur. Singulorum tantum, qui munus in ecclesia habent, arbitrio relinquendum et adscribendum est, si nihilominus in excedendis finibus modum teneant, vel pro sua parte ab ejusmodi erroribus sibi cavere studeant. In principiis vero ipsis nullum invenio impedimentum, quibus ejusmodi excessus prohiberi possint; neque perspicio, quo modo illis ducibus vera muneris ecclesiastici natura constitui, intelligi et servari possit.

III. *Schleiermacherum* hanc rem gravissimi momenti nimis leviter tetigisse, vel ab ipsis ejus sectatoribus tacite conceditur; quippe qui in ejus sententia emendanda et suppleta maxime laborent. Quum vero iisdem adhaereant principiis, ad eundem quoque perveniunt exitum.

1. *Nitzschius*, qui optime illam expandendi facultatem, quae principiis *Schleiermacherianis* inest, in meliorem partem vertere studet et valet, quamquam notionem officii ecclesiastici recte constituendam in singulari observatione l. I. sibi proposuit, tamen in solvenda quaestione nostra parum, ut equidem video, profecit. Illa una re excepta, quod *Nitzschius* in derivando munere ecclesiastico a donis spiritualibus initium facit, iisdem cum *Schleiermachero* adhaeret opinionibus, licet cautius et aptius eas proferat. Simili enim modo, ut ille, a membris ecclesiae praeceuntibus exorditur, et quod proponit discrimen

inter clericum naturalem et positivum, proprie nihil aliud est, quam *Schleiermachers* distinctio regiminis adhuc inordinati ab ordinato. Ne quid detrimenti, inquit, respublica capiat, donorum operumque concordia quaerenda est; hinc ex naturali clero prodit positivus, cujus causa et origo tantum in voluntate ecclesiae nititur, et quidem non solum ecclesiae universae, sed etiam coetus parochiani, quem coetum adeo muneri anteponit*). Imo *Nitzschius* munus ita ab ecclesia sejungit et separat, ut ecclesiam „per se jam et aliunde“ viventem, agentem, sese propagantem et conservantem existimet.

Dum lectorem ad ea delegamus, quae supra pertractavimus, haec potissimum iis addenda, nostroque judicio *Nitzschio* objicienda sint. Quamquam ei concedimus, pastores, quicquid agant, „post ecclesiam quasi et secundum eam et cum ea“ agere (l. l. pag. 6), tamen inde tantum sequitur, munus et ecclesiam mutuo summae necessitudinis vinculo conjuncta esse, non autem ecclesiam aliquam actionum suarum vitalium peragere posse, munere destitutam. Ecclesiae quidem, ipso momento, quo orta est, cum Apostolatu munus innatum est, ut, quicquid agat, in munere, una cum eo, ejusque opera agat**). Muneris quoque causa Dominus dona sua spiritualia dispensat (Epist. ad Ephes. IV,

*) Cfr. „*Studien und Krit.*“ 1832. fasc. 2, pag. 444: „Die Gemeinde in ihrem wesentlichen Dasein (?), und mit ihren wesentlichen Lebensverrichtungen (?) ist zuerst zu denken.“

***) Der Einheitspunct — recte *Liebner* ait l. l. pag. 104, — der Focus gleichsam, durch welchen die Totalität der Thätigkeit immerwährend hindurchgeht, um in ganzer Wahrheit, Fülle, Universalität auf die ganze Breite der Kirche zurückzugehen, — oder der Einheitspunct, in welchen die Kirche fortwährend sich in ihrer Thätigkeit innerlichst zusammennimmt, um als Ganzes weiter zu gehen, dieser ist das kirchliche Amt. —

11. 12); non autem, ut *Nitzschius* docet munus institutum est propter dona et charismata ordinanda, quippe quae facile inter se perturbari et confundi possint*). Si insuper hic theologus pag. 7 l. l. concedit, ex uno Apostolatus fonte varia ecclesiae officia emanasse, ex eo quaerendum est, num Apostolatus quoque post ecclesiam voluntate humana, ordinis et concordiae causa institutus sit, an non?

Deinde animadvertendum esse puto, caute inter empiricum illum coetum parochianum et ecclesiam propriam atque essentialem, quae est communio sanctorum, discrimen servandum esse, ne Independentium erroris participes fiamus, et crude nudeque omnia ad illum coetum referamus, quae de ecclesia tantum valeant. Licet enim munus non antecedit ecclesiam, quum in ipso originis momento una cum ea nascatur, tamen errare mihi videntur *Nitzschius*, *J. Müller***) aliique, qui coetum parochianum vel ecclesiam munere priorem esse dicant. Quid? Num fides antecedit verbum praedicatum; num effectus causam? Num Corinthiorum, Romanorum aliaque ecclesiae exstabant, priusquam ab Apostolis ejusque discipulis luce Evangelii donati essent? Nonne hodie quoque ecclesiae fundantur et congregantur inter ethnicos, muneris Evangelium praedicantis officio? Nonne hodie ab ecclesia ordinantur et delegantur pastores ad munus administrandum in singulis jam exstantibus coetibus parochianis? Nonne scriptum legitur Matth. XVI, 18: ἐπὶ τῆσθ τῆ πέτροσθ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν? Quod dictum recte in Articc. Smalce. p. 336 his ver-

*) „Man kann in dem einigen und ganzen Amte Aemter unterscheiden, nachdem die Gaben unterschieden sind. Eine andere Bedeutung haben die Gaben nicht. Man kann nicht aus den Gaben das Amt schlechthin ableiten.“ *Liebner* l. l. pag. 112.

**) In commentatione: „Die nächsten Aufgaben für die Fortbildung der deutsch-protestant. Kirchenverfassung. Breslau 1845,“ pag. 15 et 16.

bis explicatur: „certe ecclesia non est aedificata super auctoritatem hominis, sed super ministerium illius professionis, quam Petrus fecerat. Ideo alloquitur eum tanquam ministrum: „super hanc petram“, i. e. super hoc ministerium. Quae quum ita sint, per se patet, parochiam muneri anteponi non posse, sed potius ministerio verbi priorem cedendum esse locum*). Sed muneri dico, eique soli, neque vero personis, neque ordini vel clero cuidam, qui dicitur, positivo proprie haec tribuenda est auctoritas.

Quum vero hoc, quod jam supra indicavimus, discrimen inter munus et ordinem ecclesiasticum *Nitzschius* quoque neglexerit, denique mirum non est, eum re vera notionem officii ecclesiastici, quam recte constituendam sibi proposuit, non definivisse. Ex ejus de hac re observatione tantum de una edocemur muneris parte, eaque secundaria, subjectiva et humana; alterius vero partis, ejusque principalis, originem et naturam ne verbo quidem attingit, licet haec primum constituenda sit, ne munus in aëre suspensum appareat, omnesque de eo sententiae futes et commentitiae esse videantur. Aliter etiam probe demonstrari nequit, neque unde naturalis ille clerus profectus sit, et quo tendat, neque quo jure ex naturali prodeat clerus positivus. Quam ob causam cum *Liebnero* consentimus, l. l. pag. 107 dicente: „Der sogenannte clerus naturalis kann nur durch einen „Sprung zu dem clerus positivus werden. Die Kluft, die „da zu überspringen ist, kann immer nur durch den schon „gewonnenen Begriff des Amtes ausgefüllt werden. Das „Alles gehört mehr zur Geschichtserzählung der persön-

*) Pro eadem, quam tuemur, sententia optime propugnat *C. Rothius* in libro: „Die wahren Grundlagen der christlichen Kirchenverfassung. Berlin 1844,“ inde a pag. 20. —

„lichen Erfüllung des Amtes, wie sich diese in der Kirche „fortwährend macht oder machen soll. Der Begriff „des Amtes wird dadurch nicht gewonnen, sondern immer nur schon vorausgesetzt.“

2. Eadem, quae hucusque protulimus, dicenda sunt adversus *Schweizerum*. Quum *Schleiermachers* et *Nitzschii* vestigia sequatur, in eadem etiam cum iis deducitur deveticula. Rem vero ipsam mihi promovisse et emendasse non videtur, nisi quod jam discrimen quoddam statuit inter ordinem et munus ecclesiasticum (pag. 30 l. l.); nihilominus clarissime patefacit, quam difficile sit hac via Romanorum vitare errores. Jam propterea auctori assentiri non possumus, quod denuo distinctionem illam inter clericos et laicos in practicam theologiam introducit, quum his vocibus propter originem ipsarum semper adhaereat color quidam hierarchicus, quo fit, ut ad evangelicam hujus rei doctrinam exponendam non sint idoneae. Deinde illam *Nitzschii* distinctionem non recte intellexisse mihi videtur, si omnes fideles propter sacerdotalem ipsorum dignitatem „clerum naturalem“ appellandos censet; neque perspicio, quomodo ejusmodi appellatione de iis uti possimus, quum nondum *λαός* iis oppositus reperiatur. Multo magis autem theologus, quocum disputamus, evangelicam veritatem violasse mihi videtur, ubi docet (pag. 26): „Die Kirche erhebt sich erst durch Aufstellung dieses Gegensatzes zur Kirche, d. h. zur ethischen Form.“ Quenam alia his verbis inest sententia, nisi ad veram ecclesiae notionem constituendam necessario clerum legitimum, vel ordinem clericalem pertinere?*) Hac vero notione

*) Conferantur, quae jam supra (pag. 36) commemoravimus dicta ex nonnullis reformatae ecclesiae confessionibus publicis, quibus *Schweizer* assentiri videtur.

ethica fidei christianae vis parum consideratur, vera liberaque ecclesiae natura, qua ab instituto legibus facto differt, ignoratur, eique denuo legis jugum imponitur, quo divina gratia liberata est. (Ep. ad Gal. III, 3—5; V, 4; ad Col. II, 20)*).

Duo potissimum nobis ex *Nitzschii* et *Schmeizeri* commentationibus in causa nostra sequi videntur. Primum, si via a *Schleiermachers* inita gradatim procedatur, vel ad nullam certam muneris ecclesiastici notionem, vel ad eam perveniri, quae, quum ex lege facta sit, evangelio contradicat. Deinde vero haec conamina irrita testimonium edunt tacitum de veritate ecclesiasticae doctrinae, quum hac tantum duce, et quae in illis vera sunt, probari et teneri, et quae falsa, vitari ac rejici possint. Ad eam denique exponendam et probandam pergamus, necesse est.

IV. Unum illud communeque, in quo omnes, quas ponderavimus, sententiae conspirant, in eo ponendum est, quod hominibus primus assignatur locus, et quod in iis, qui naturae et gratiae dotibus aucti et ornati sunt, tanquam in fundamento, munus collocatur et exstruitur ecclesiasticum. Forsitan illis viris assentiendum esset, si quis eorum demonstrasset, ministrorum ecclesiae esse, suam ipsorum, non ecclesiae imprimis doctrinam, fidem vitamque docere, exercere et manifestare; vel si probari posset, quodque ecclesiae membrum, terrestribus coelestibusque donis excellens pro sua parte muneris ecclesiastici jam non egere. Quum vero ne haec quidem statui possint, ut de gravioribus

*) Cfr. etiam, quae *Sackius* illi dicto a nobis in controversiam vocato opposuit in: „*Stud. und Krit.*“ 1839, fasc. 2, pag. 571 et 572.

argumentis taceamus, etiam cum *Liebnero**) ab ejusmodi sententia desistamus necesse est, ex qua persona priorem, munus posteriorem obtinet locum, et secundum quam, ob caecam sacerdotii levitici fugam, munus Novi Foederis voluntate humana niti dicunt.

1. Quonam, quaeso, deferimur his principiis? Num illa *ὑπερβάλλουσα δόξα τῆς διακονίας καινῆς διαθήκης*, quam Apostolus altera ad Corinthios epistola magnis laudibus ornat, eo consistit, quod haec ab hominibus, *διακονία* Veteris Foederis a Deo ipso instituta sit? Minime. Sane jam non valet munus *τοῦ γράμματος τοῦ αποκτείνοντος*; non habemus munus levitico simile, ex lege constitutum, cerimoniis et sacrificiis expiatoriis adstrictum. Non novimus ullum sacerdotem, qui pro nobis intercedat coram Deo, tanquam *μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων*, nisi unum illum intercessorem (Ep. I ad Timoth. II, 5), Jesum Christum, qui *ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα*, salvat omnes ipso interpellante ad Deum accedentes (Ep. ad Hebr. VI, 20; VII, 25)**). Attamen, sicuti lex tantum adumbrabat

*) L. I. inde a pag. 105, ubi etiam dilucide demonstrat, hac via inita propriam muneris notionem necessario evanescere. „*In den separatistischen Secten, ait, und in der katholischen Kirche verschwindet der eigentliche Begriff des Amtes auf gleiche Weise; Alles wird auf das Persönliche gelegt, dort liberalistisch, hier hierarchisch. Die erfüllteren Glieder machen eigentlich das Amt; in den Secten wird es dem Zufall überlassen, die katholische Kirche erfüllt den Clerus schlechthin und für immer.*“

**) Quare neque cum *Harmsio* summe venerando („*Pastoraltheologie*“ P. II, oratione secunda), neque cum *Palmero* de practica theologia optime merito („*Ueber die Kirche*“, in „*Stud. der evangel. Geistl. Würtemb. Stuttg. 1839*, inde a pag. 45), notionem sacerdotis evangelici constituentibus, omnibus numeris consentire possum, etsi cum iis doleo, veram justamque hujus notionis vim, jam a *Marheineckio* („*Grundl. d. Homil.*“ 1812; et „*Entw. d. prakt. Theol. § 116*“) denuo in memoriam revocatam, nimis oblivioni traditam esse. Cf. tamen, quae optime de re nostra disseruit *Rudelbachius* („*Zeitschr. f. d. ges. luther. Theol. u. Kirche*“ 1841, fasc. 1, pag. 124 sqq.) in commentatione inscripta: „*Ueber den christlichen Begriff der Hierarchie und die unchristliche Verunstaltung desselben.*“

res futuras ipsas, ita etiam munus abolitum V. F. expletum est in N. T., imprimis in persona ipsa Domini nostri, qui est finis totius legis, summusque sacerdos, propheta et rex ecclesiae suae; deinde per eum in munere ecclesiastico, ex ejus muneribus profluente (Ep. II ad Corinth. V, 20), ejusque divina potestate, gratia et promissionibus instituto, quod est *διακονία τοῦ πνεύματος τοῦ ζωοποιούντος*. Quibus vero haec non placet sententia, caveant, ne munus evangelicum longe sub levitici sacerdotii dignitatem dejiciant*).

Quae autem jam hac apagogica argumentatione probantur veroque proxima fiunt, certissime firmissimeque evincuntur, si directam demonstrandi viam inimus.

Primum ex natura ecclesiae ipsius necessario evadit, munus ecclesiasticum divinam habere originem. Est enim ecclesia communio fidelium vel sanctorum, qui cum principe et capite suo, Christo Jesu, solum per Spiritum Sanctum mutuo amplexu juncti sunt. Christus enim nobiscum non agit, nisi per Spiritum Sanctum; et fideles illi non adhaerent, nisi per fidem, quae ejusdem Spiritus opera in cordibus excitatur et servatur. Porro vero constanter tenendum est, una cum aureo illo octavo articulo partis tertiae Artt. Smalcc.: Spiritum Sanctum neque gratiam divinam nobis largiri, neque fidem in nobis creare velle, rejectis vel neglectis adjumentis illis externis, quibus utrumque adjunctum est et inhaeret, Verbo et Sacramentis. Nulla ergo exstat vera communio sanctorum neque inter se, neque cum Christo, nulla fides, „nisi per Verbum et cum Verbo ex-

*) Ob eandem causam auctor Ep. ad Hebr. V, 4. 5 demonstrat, ne Christum quidem, quamquam Filius Dei esset, se ipsum honore summi sacerdotii affecisse (cfr. Joh. V, 41 sqq.; VII, 18 cet.). Quam vero supra examinavimus sententiam, ea neque hoc dicto, neque aliis ejusmodi Sac. Script. effatis probe convenit

terno et praecedente.“ Fides enim, quae creditur, sunt promissiones divinae his adjumentis insitae, exhibitae et largitae; rursusque fides, qua creditur, solum iisdem adminiculis creatur, obsignatur et augetur. Quum ergo Deus ejusmodi ordinem salutis instituerit, inde necessario apparet, eum etiam munus ecclesiasticum instituisse; ita ut utrumque simul aut tenendum, aut negandum sit. Notio enim muneris primaria et fundamentalis ea est, ut sit divinitus instituta potestas et jus praedicandi Evangelium, porrigendi Sacramenta, remittendi et retinendi peccata*). Huc igitur referenda sunt omnia illa N. T. dicta, in quibus de hac potestate agitur; prae ceteris vero animum lectoris advertisse volumus ad Ep. ad Rom. X, 14. 15, ubi divus Apostolus quaerit: „πῶς δὲ πιστεύουσιν ὃ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος; πῶς δὲ κηρύξουσιν, εἰ μὴ ἀποσταλῶσι;

Quae quum ita sint, munus origo et ecclesiae ortus inter se intime cohaerent, neque ullo modo separari possunt. Imo, si totam historiam manifestationum divinarum perlustramus, dilucide apparet, nunquam non adjunctum fuisse decretis et operibus divinis in salutem nostram susceptis certum munus ad ea praedicanda, explicanda et applicanda (cfr. Ep. ad Hebr. I, 1. 2). Eodem modo etiam in ecclesia et cum ea munus fundatum est; sicuti cum munere ecclesia condita. Ubi enim Verbum praedicatur, ibi secundum Dei promissiones etiam communio fidelium nascitur; rursus ecclesia ad se ipsam congregandam, servandam, aedificandam munere carere nequit. Testis nobis iterum est Paulus Apostolus,

*) Artt. Smalcc. pag. 336: „*Die weil die Schlüssel nichts anders sind, denn das Amt, dadurch solche Verheissung jedermann, wer es begehret, wird mitgetheilt.*“

qui in Ep. II. ad Corinth. V, 18. 19 etiam opus reconciliationis nostrae per Christum factae jungit et cum τῷ λόγῳ, et cum τῇ διακονίᾳ τῆς καταλλαγῆς. Exinde autem necessario sequitur, divinam muneris ecclesiastici institutionem tenendam esse, quamdiu singularis potestas et auctoritas administratorum gratiae illaesa valeat, neque negetur ecclesiam ipsam minime ex humana, sed ex divina voluntate originem traxisse.

Sed his concessis, dicat quispiam inde tantum apparere, Deum nobis cum Verbo suo fontem modo et normam praeconii evangelici dedisse, non vero munus ipsum, quod ab ecclesia institutum esse nondum refutatum sit. Quamquam hoc positum discrimen agnoscimus, tamen, quae inde deducuntur, nequaquam concedenda videntur. Non enim Evangelio et Sacramentis per se spectatis, sed praedicato altero et exhibitis alteris adjecta est promissio gratiae; unde jam sequitur, munus, quod iis fungatur, eandem necessario cum his gratiae adjumentis habere originem*).

*) Quare non possumus acquiescere in iis, quae J. Mueller in praefatione supra commemorata pag. XI et XII sententiae Schleiermacherianae addidit. Nondum enim sufficit ad probandam muneris potestatem, demonstrasse sermonem sacrum omnibus numeris ex Verbo divino haustum esse. Inde tantum sequeretur concionem veram et efficacem esse. Ne vero ecclesia vel singuli homines in ordinando et exercendo munere aliquid ex divina auctoritate sibi arrogasse videantur, necesse est, certum exploratumque sit, munus divinitus fundatum esse. Mueller vero, quum hunc ortum non agnoscat, cacumen radicis loco ponit, nobisque objicit, re profundius perspecta, nodum illum expediri non posse, nisi eo, quod ad propriam vocationem Dei ipsius confugiatur. Sed duas hac in re mihi videtur permiscuisse quaestiones: alteram, quo jure et qua potestate munus ipsum nitatur; alteram, unde singuli, qui eo funguntur, firmam animi fiduciam et παρόρσησιν ad munus gerendum accipiant. Ut ad hanc perveniatur, parum refert, licet per se maximi sit momenti, num cui persuasissimum sit, se vera fide Verbum divinum amplecti, quum idem postulandum sit a quoque vivo ecclesiae membro. Singularis illa παρόρσησιν potius in eo sita est, quod minister scit sibi potestatem ministerii datam esse ab ecclesia, seque rite vocatum esse, et quod ei exploratissimum est, ecclesiam non sibi arrogasse sed a Deo accepisse potestatem muneris, et jus vocandi et ordinandi ministros. Gravissimi igitur est ponderis etiam singu-

Deinde vero, ut nulla admittatur hac in causa dubitatio, testimonium nobis exhibet firmissimum Apostolatus a Domino ipso institutus. Eo quod Christus, summus ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς, discipulis suis dixit: καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ, καὶ γὰρ πέμπω ὑμᾶς, eos expressis verbis illa, de qua loquimur, potestate induit, iisque provinciam administrandi Verbum et Sacramenta mandavit (cfr. Matth. XVI, 19; Joh. XVII, 18; XX, 21—23). Qua re Paulus Apostolus omni jure meritoque se ipsum ἀπόστολον οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ πατρὸς appellare potest (Ep. ad Gal. I, 1). Illis vero mandatis et promissionibus Christus non solum Apostolatium, sed potius ipsum munus N. T. sacrum instituit. Muneris enim condendi et servandi causa Apostolos sibi elegit, minime autem Apostolorum causa munus fundavit.

Jam vero ad summum disquisitionis nostrae fastigium pervenimus. Quum plerumque temporibus nostris non concedatur, munus hodiernum in ecclesia pariter atque Apostolatium a Christo institutum esse*), sententiam nostram, refutatis argumentis oppositis, probemus et evincamus necesse est.

Primum tenendum est, munus, de quo disputamus, non magis adhaerere Apostolorum personis, quam Verbum et Sacramenta, fidem et Spiritum S., ideoque iis mortuis neque finem habere, neque propriam suam naturam commutare posse. Licet Apostoli ex hac vita decesserint, tamen Christus et ecclesia semper manent et mansuri sunt. Quae jam inde apparent, quod eandem muneris potestatem Apostolis datam

lis ministris, ut certiores fiant de divino muneris ortu; hoc vero constituto nihil negotii superest, omnesque difficultates, quibus res impedita videtur, penitus tolluntur.

*) Cfr. praeter alios Mueller l. l. pag. IX.

etiam ecclesiae ipsi a Domino traditam legimus Matth. XVIII, 18, et quod Paulus Apostolus in II. Ep. ad Corinth. III, 20 munus N. T. muneri V. T. ita opponit, ut hoc τὸ καταργούμενον, illud verò τὸ μένον appellet.

Deinde jam in apostolica ecclesia exstat munus in singulis parochiis, quod omnino hodierno muneri ecclesiastico aequiparandum est. Concedimus sane *Liebnero***), esse distinguendum inter varia Apostolorum, Evangelistarum, Pastorum cet. officia; sed haec negotia nihil sunt, nisi variae manifestationes unius ejusdemque muneris divinitus instituti, prout ecclesiam aut fundandam, aut jam fundatam spectamus. Concedimus porro, non omnino esse permiscendum Apostolatam cum Pastoratu; verumtamen inde nondum sequitur, eos esse omnino dirimendos. Duplicem enim prae se fert Apostolatus faciem; alteram singularem, iis solis, quibuscum commoratus est Dominus Jesus (Act. I, 21, 23), adhaerentem, in qua propria Apostolorum dignitas et auctoritas sita est; alteram universalem, qua Apostoli non differunt neque a presbyteris vel episcopis illius aetatis, neque a posterioribus pastoribus ecclesiae localis. Inde explicari potest, cur Apostoli se ipsos συμπρεσβυτέρους vel πρεσβυτέρους appellent (Ep. I. Petri V, 4; I. et II. Joh.), atque e contrario, non verbis modo, sive ex nimia comitate, sed re et veritate alios quoque, qui singulis ecclesiis ministrant, nomine Apostolorum ornent (Ep. ad Rom. XVI, 7; II. ad Corinth. VIII 23; ad Philipp. II, 25)**). Quare *Nitzschio* assentiri non pos-

*) Cfr. nota ad pag. 110 posterioris commentationis: „*Stud. u. Krit.*“ 1844, fasc. I.

**) Cfr. commentationem, accurata consideratione dignam, in „*Evang. Kirchen-Zeitung*“ 1846, Nr. 60, quae inscripta est: „*Das Aeltesten-Amt in der apostolischen Kirche, und das moderne Presbyteriat.*“

sumus, nulla interposita distinctione judicanti (l. l. pag. 6), pastores non aequo Apostolis loco constitutos esse*).

Sententiae vero, quam tuemur, objicitur primum**), discrimen servandum esse inter presbyteros apostolici temporis, et pastores nostrae aetatis, neque ad alteros transferenda esse, quae de alteris valeant. Quamquam saepissime in indagando presbyterorum officio opiniones praesumptae tam noxiam exercuerunt vim, ut in universum non recte intellectum, totaque quaestio magnis difficultatibus obruta sit, tamen seposita quaestione ipsa et posito illo discrimine sententia nostra minime refellitur, quum ejusmodi discrimen ordinem tantum et negotia muneris varia tangat, nequaquam vero munus ipsum ejusque originem et potestatem.

Deinde contenditur, presbyterorum munus, etsi ab Apostolis ipsis institutum sit, nihilominus proprie non esse divini sed solum humani juris; atque id tantum dolendum esse putant viri docti, quod nullibi in N. T. accuratius nobis traditum sit, qua occasione et quo modo Apostoli Presbyteratum creaverint, sicuti Actor. XI Diaconatus origo narretur. Accedit insuper hoc, quod sane mirum esse videtur,

*) „*Das kirchliche Lehramt ist Apostolat und bleibt Apostolat, mit der vollen apostolischen Gewalt das Wort des Sohnes Gottes zu predigen, in seinem Namen zu taufen, und durch sein Wort und Sacrament zu lösen und zu binden, damit im Himmel gelöst und gebunden sei.*“ *Kliefothius* in commentatione sua praestantissima, cui hoc imposuit titulum: „*Ueber Predigt und Katechese in der Vergangenheit und in der Gegenwart der lutherischen Kirche.*“ Cfr. „*Abhandl. und Krit. Rostock 1816.*“ fasc. I, pag. 9.

**) Cfr. ex. gr. *J. Mueller* l. l. pag. X. In ecclesia prima fuisse presbyteros non docentes, quis est, qui neget. Attamen ex epistolis, quae pastorales dicuntur, non minus, constat, *Paulum* Apostolum postulasse, ut omnes presbyteri διδασκτικοὶ essent, propter ψευδοδιδασκάλους, ne horum errores latius serperent. Quo factum est, ut crescente ecclesia et exeunte aetate apostolica etiam magis magisque discrimen illud, supra indicatum, evanesceret. Cfr., quae docte et juste hac de re judicavit *R. Rothius* in libro: „*Die Anfänge der christl. Kirche.*“ *Wittenb. 1837.* P. I. pag. 221 — 243.

cur nobis nihil referatur de ortu muneris, quod multo majoris auctoritatis erat, quam illud diaconorum, cujus tamen primordia prolixius memoriae tradita sunt. Nostro vero iudicio nihil est, quod desideremus, quum alterum munus ab altero toto distet coelo, neque utrumque ab Apostolis eadem vi et ratione institutum sit. Diaconorum enim officium merum habet ortum humanum, presbyterorum divinum, quoniam profluit ex Apostolatu, quocum et in quo jam a Deo ipso creatum est. Hanc ob causam Apostolorum minime erat ejusmodi munus denuo condere, sed tantum illud, quod jam divina voluntate fundatum erat, electione et ordinatione personarum manifestare, servare et fovere. Eam, quam defendimus sententiam, certissima quoque tumentur Sacrae Scripturae dicta, ut Actor. XX, 28; Ep. I ad Corinth. XII, 28—30; ad Ephes. IV, 11, ubi nudis verbis a Deo ipso, a Christo et Spiritu Sancto dicitur institutum esse munus Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Pastorum et Doctorum ecclesiae, quorum varia officia et dona, prout a Spiritu Sancto dispensata sunt, opere ministerii et aedificatione ecclesiae (*εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος*) in unum colliguntur munus et finem.

Liebner denique, quamquam in universum ejusdem est nobiscum sententiae (l. l. pag. 108—110), nihilominus ecclesiae, ex qua, ut recte dicit, processu semper iterato munus procedit, eo graviorem vim tribuit, eamque eo magis in munere constituendo praevalere censet, quo minus divinum, certissime non minus gravem, muneris ortum in parem juris conditionem mihi recepisse videtur, ratus, munus ecclesiasticum quidem a Christo institutum esse, sed ita, ut hoc facto institutionem ecclesiae praeciperet vel quasi anticiparet. Eodem modo universum opus Christi redemptorium

dicere possit aliquis anticipationem ecclesiae futurae. Quum vero ejusmodi loquendi formula nimis impropria sit, neque ad rem ipsam plane designandam apta, quoniam Christi opus eo differt ab oeconomia Veteris Foederis, quod causa est ecclesiae fundamentalis et finalis, ea neque ad ullius alius ejus operum, neque ad muneris N. T. originem et fundationem denotandam uti licet. A levitico quidem sacerdotio hoc, de quo loquimur, munus anticipatum esse patet; a Christo vero, ut demonstravimus, fundatum et institutum est.

Credimus ergo, confitemur et docemus una cum divinis Apostolis, et tota sancta ecclesia, et libris nostris symbolicis, ministerium Verbi pariter atque Verbum divinum et ecclesiam ipsam, a quibus sejungi nequit, esse divinae originis; „habet enim mandatum Dei, et habet magnificas promissiones“ (Apol. A. C. pag. 196). Sicuti autem Novum Foedus ipsum, ita etiam munus evangelicum non est institutio ex lege facta, neque privilegium levitico simile, classi et ordini cuidam sacerdotum concessum, sed profluit ex gratia divina, et sita est nititurque solum promissionibus Domini nostri, qui pollicitus est, se ecclesiae suae semper affuturum esse, singulisque in ea membris perpetuo dona sua dispensaturum, quibus idonei fierent ad munus Evangelii probe et feliciter gerendum. Multo minus hoc munus proprie institutum esse potest propter ordinem externum constituendum, vel concordiam actionum servandam. Nullibi enim in N. T. hunc finem ei adscriptum legimus, sed semper quam maxime conjungitur cum interna vita corporis Christi, in se organice compositi, quae est ecclesia, ad quam aedificandam omnia hujus muneris officia tendunt. Inde etiam apparet, erroneam esse eorum sententiam, qui ecclesia efflorescente munus sensim evanescere opinentur. E contra dicendum est, ibi ecclesiam

jam esse infirma et aegra valetudine, ubi divina muneris necessitas et auctoritas in dubium venire coeperit, quia hoc fieri nequit, nisi simul absoluta necessitas et singularis fidei creandae et servandae potestas adminiculatorum gratiae addubitatur. Verumenimvero ecclesia eo pluris munus suum aestimabit, ejusque indigebit, eoque firmiter omnia vera ejus membra una cum ministris munito agmine circa munus se colligent, quo magis ipsa vigeat, florebit et crescat.

2. Jam vero alteram muneris partem respiciamus, et pauca addamus oportet de subjectis munus gerentibus, vel de ordine sacerdotali.

Quae hucusque, rejectis sententiis adversariis, de divina muneris ecclesiastici origine disputavimus et probavimus, minime referenda sunt ad ordinem ecclesiasticum, quasi munus illud secundum divinam quandam legem ceremoniale adstrictum sit certis hominibus, quibus solis officii administrandi potestas mandata sit, quibusque *κατ' ἐξουσίαν*, tanquam legitimis muneris possessoribus vel excellentibus ecclesiae membris dona Spiritus Sancti dispensentur*). „Ministerium N. T. — dicimus cum Artt. Smalce. pag. 307 — non est alligatum locis et personis, sed est dispersum per totum orbem terrarum, et ibi est, ubi Deus dat dona sua: apostolos, prophetas, pastores, doctores; nec valet illud ministerium propter ullius personae auctoritatem, sed propter Verbum a Christo traditum.“ E Verbo divino autem disci-

*) Haec doctrina de ordine sacerdotali divinitus instituto non solum ab ecclesia Romana profertur, sed etiam a nonnullis, quas supra (pag. 36) commemoravimus, confessionibus publicis ecclesiae reformatae rata habetur, et quidem ita, ut adeo, dissentiente vel ipsa ecclesia Romana, laici baptismum administrare vetentur, etsi infans vel adultus baptizandus versetur in vitae periculo (cfr. Conf. Scot. I, 22; Helvet. post. XX apud Niemeyerum l. I. pag. 353 et 518). Etiam Schweizer concedit l. I. pag. 32: „Bei uns Reformirten ist jedoch der Gegensatz (inter populum et clericum) dem Katholischen etwas näher.“

mus, sicut etiam ecclesia nostra probe recteque docet, jus et potestatem muneris „principaliter et immediate“ adhaerere toti ecclesiae, ita ut nulla humana auctoritate ei eripi possit. Ecclesia enim universa, non ut empirica congregatio hominum, sed ut communio fidelium, una fide eademque confessione publica junctorum, est illud *γένος ἐκλεκτόν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον* et *λαὸς εἰς περιποίησιν*, quem admonet Apostolus Petrus I. Ep. II, 5: *καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε, οἶκος πνευματικός, ἱεράτευμα ἅγιον, ἀνεύχαι πνευματικῆς θυσίας ἐμπροσθέντος τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Qua re etiam fatendum est, „claves non ad personam unius certi hominis, sed ad ecclesiam pertinere, ut multa clarissima et firmissima argumenta testantur“ (l. I. pag. 336. Cfr. Matth. XVIII, 15 sqq.).

Haec vero potestas data est ecclesiae, non ut coetui hominum, qui vel nullum inter se servant discrimen, vel tantum naturalem illam regentium et sequentium oppositionem statuunt, sed ut corpori mystico Christi, in se jam inde ab initio suo organice constituto et composito, ita ut singula ejus membra, prout inter ea varia dona spiritualia (*χαρίσματα*) dispensata sunt, varia etiam exerceant officia et negotia ad totum aedificandum corpus (cfr. Ep. ad Ephes. IV, 16; I. Ep. ad Corinth. XII; ad Rom. XII, 4—6). Deinde per se apparet, ecclesiam, quamquam ei proprie muneris potestas competit, hanc potestatem publice exercere non valere, nisi eo, quod eam singulis concedat et mandet, quos gratiae et naturae dotibus ad munus gerendum aptos et idoneos esse sibi persuasum habeat. Ecclesia ergo, quum singula membra sua eligit, vocat et ordinat, id summo jure facit, quum re vera habeat, quod iis tradat; habet enim sacerdotium et munus divinitus institutum, cujus auctoritate certos homines

induere potest. „Habet enim ecclesia mandatum de constituendis ministris, quod gratissimum esse nobis debet, quòd scimus, Deum approbare ministerium illud et adesse in ministerio“ (Apol. pag. 197).

Neque ecclesia ordinem constituens quidquam amittit de sua auctoritate sacerdotali; imo, hoc ipso actu suam exercet et servat potestatem sacerdotalem, eamque absconditam manifestat, dispersam comprehendit tanquam in foco; itaque condito ordine munus suum omnesque actiones suas vitales re vera ad effectum perducit et in suam ipsius aedificationem vertit. Quam ob causam maneat necesse est etiam non ordinatis inviolata potestas absolvendi peccata et baptizandi in casu necessitatis (cfr. Artt. Smalcc. pag. 344); maneat non minus ecclesiae, quae supra ministros est, potestas removendi eos, qui falsa doctrina vel prava vita munus sacrum contaminant; non enim solum ministri, sed etiam ecclesia rationem reddere debet Deo de administratione muneris ab eo instituti. Ea de re etiam ecclesia in manibus suis retineat necesse est clavum imperii et regiminis ecclesiastici, ita ut ipsa, salvis tamen Verbo divino et symbolis, praescribat ministris suis, quaenam et quibus modis illa publice ab iis docenda et agenda sint, ipsaque curet et custodiat, ne haec violentur, neve quid detrimenti capiat respublica sacra.

Altera ex parte nihil est, unde fiducia et hilaritas proficiatur pastoribus in munere gerendo, quam inde, quod sciunt, munus, quo fungantur, originem suam traxisse non ex humana, sed ex divina voluntate; et quod firmissime sibi persuasum habere possint, se a munere et ecclesia sustineri et geri, quum per ipsos Deus ipse totaque ecclesia agat, idque eo magis, quo magis Verbo divino obediant, et fide professioneque cum ecclesia intime conjuncti sint.

Si omnia una complectimur, dilucide apparet, munus in ecclesia ordinatum simul ex voluntate actuque divino et humano, Christi et ecclesiae, quorum altera ab altero sejungi nequeat, originem ducere. Quo fit, ut pastores, modo puram Evangelii doctrinam concionentur, riteque Sacramenta administrent, et Christi et ecclesiae ministri sint, utriusque locum tenentes, utque, quicquid publice agant, non in suo ipsorum nomine agant, sed nomine et auctoritate Christi et ecclesiae.

Neque minus inde patet, quaenam ratio intercedat inter utramque officii ecclesiastici partem, divinam et humanam, et quomodo optime inter se congruant, quum invicem se poscant et sustineant. Dotibus enim naturae, nec non, quae ad eas se applicant, gratiae donis utitur Deus tanquam elemento, quo munus ab ipso conditum patefiat, se manifestet, et efficaciter agat. Ex contrario ordo ab hominibus constitutus, qui primum dona illa respiciunt, omni esset destitutus certo fundamento, nisi jus suum, suamque potestatem et auctoritatem haberet in divinis mandatis et promissionibus. Tenendum ergo est, constitutionem ordinis ecclesiastici voluntate et vocatione humana factam niti solum in divina institutione muneris ecclesiastici, ex munere sacerdotali et certissimis promissionibus Domini nostri Jesu Christi profluentis.

Hinc apparet, minime ordinem vel personas primum tenere locum, sed potius munus, ita tamen, ut hoc munus personas singulas sibi poscat, ordineque quodam egeat, quo destitutum neque in lucem prodire, neque in commodum ecclesiae agere possit. Denique his tantum positis conditionibus non solum praecavetur, ne prava illa praeceuntium vel sequentium hierarchia exsurgat, sed etiam efficitur, ut utrique,

mutuo fidei, dilectionis et observantiae vinculo juncti, veram repraesentent hierarchiam, spirituale illud et sanctum N. F. sacerdotium, in se organice comparatum et ordinatum, cujus omnes fideles pro sua parte participes fiunt, et quod, ex uno proficiscens fonte, uno Spiritu quoque, una fide, unoque, quo omnes tendunt, fine continetur et copulatur. Nulla exstat et imperat auctoritas humana, neque ecclesiae, neque ministrorum, quum utrique se subjungant sub potestatem Verbi divini, et typum illum doctrinae vitaeque (II. Ep. ad Timoth. I, 15), quem ecclesia credendo et profitendo e Verbo divino eruit, omnibusque membris et ministris suis proponit, tanquam μέτρον τῆς ἡλικίας et ἐνότητα τῆς πίστεως καὶ ἐπιγνώσεως, ut omnes omni, qua par est, opera eum assequantur, servent, foveant et promoveant (Ep. ad Ephes. III, 11—16).

3. Jam vero, omnibus peractis et paratis, reliquum est, ut quaestionem supra (pag. 38) jam sepositam solvamus, num regiminis voce natura officii ecclesiastici, quam nunc cognovimus, probe indicetur, cunctaeque ejus actiones plane comprehendantur?

Respecta posteriore quaestionis parte animadvertendum est, ecclesiam aedificari non solum regendo et ducendo, sed potissimum docendo*); et quidem ita, ut qui munere funguntur publico, non modo moderatores sint vitae actuosae civium in republica sacra, verum etiam ut ipsi, adhibitis, quae iis parata sunt, subsidiis exerceant peculiare actus,

*) Notatu dignissima mihi de hac re Koester („Lehrb. d. Pastoralwiss.“ Kiel 1827. pag. 159. Nota 2.) ex scripturis sacris et Confess. August. attulisse videtur, quocum etiam Marheinekius (l. l. § 104) his consentit verbis: „Koester behauptet mit Recht, nicht das Leiten der Gemeinde, welches auch von ihren Mitgliedern übernommen werden könnte, sondern das Lehren sei das den Geistlichen Unterscheidende.“ Cfr. etiam, quae Grafius (l. l. pag 31) probe judicat.

eosque gravissimos, quippe qui iis solis mandati sint eo consilio, ut fidem omnemque vitam spiritualem et servent, excolant, foveantque, ubi jam exorta est, et excitent atque procreent, ubi adhuc deest. Pastor enim evangelicus non solum rector et dux ecclesiae jam viventis habendus est, ut Nitzschius (l. l. pag. 7) non audita altera parte statuit, sed etiam auctor vitae in ecclesia actuosae, quia ei concreditae sunt praedicatio Verbi divini et administratio Sacramentorum, ex quibus solis omnis vita ecclesiae proficiscitur*). Certe Nitzschius nobis objiciet, quae l. l. leguntur, homiliam et catechesin non secludi, si gubernandae ecclesiae notionem reliquis praeficiamus, quia omnes agnoscant ecclesiam regi non posse, nisi morali quadam seu spirituali arte et ope. Nostro autem judicio inter docendae et regendae ecclesiae potestatem haec intercedit ratio, ut non prior ex posteriore emanet, sed potius haec ex illa. Minime regendi, sed imprimis docendi provincia madata est iis, qui munere ecclesiastico funguntur, unde sane gubernandi quaedam potestas profluat necesse est; haec vero ita, ut neque a singulis pastoribus, neque tantum ab iis omnibus conjunctim exerceatur. Inde apparet, vocola regiminis, etsi latissima sumatur significatione, partim non contineri omnes omnis pastoralis officii actus, partim eorum fines excedi, eamque ad eos totos et proprios significandos aptam et idoneam haberi non posse.

*) De pastorum munere etiam valent, quae Paulus Apostolus in I. Ep. ad Corinth. IV, 15 de suo officio dicit: ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα (cfr. etiam Ep. ad Philem. v. 10). „Nicht nach seinen Personen, — recte igitur ait Kliefothius in commentatione supra laudata pag. 10 et 11 — auch nicht nach seinen Werken, auch nicht nach seiner Kraft und Wirkung, aber wohl nach seinem Amt ist das Lehramt in dem Sinne der Reformation ein Mittleramt, weil es die Gnadenmittel handhabt.“

Neque vero peculiarem naturam et indolem hujus officii publici in ecclesia intellectam et servatam existimo, si quis se regiminis vocola eam probe justeque designasse putet. Quamquam enim non infitiamur munus hoc aliqua ex parte regendi provinciam attingere, nihilominus vera et propria ejus natura, quae una eademque in omnibus clericorum functionibus maneat, easque omnes penetret oportet, posita est in ministrandi officio. Minime ministrant pastores, quia regunt ecclesiam, sed potius regendi potestatis participes fiunt tantum, quatenus re vera modo ministri ecclesiae esse volunt. Non regimine, sed ministerio potissimum aedificatur ecclesia, et quidem eam ob causam, quia non aedificatur, nisi Verbo et Sacramentis, quorum administratio pastoribus non mandata est ut dominis et regibus, sed ut ministris Christi et ecclesiae, atque dispensatoribus magnum et arcanorum Dei. *Ὅτως ἡμῶς λογιζέσθω ἄνθρωπος — Paulus I. Ep. ad Corinth. IV, 1 ait — ὡς ὑπερέτας Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ.* Neque ignoro in scripturis sacris, ad quas etiam *Nitzschius* (l. l. pag. 6) nos delegat, nonnunquam occurrere vocabula illa, quorum potestas in regiminis notione posita est, ut *ἐπισκοπεῖν, ἡγεῖσθαι, προϊστασθαι, ποιμαίνειν*; sed primum monendum est, Apostolorum temporibus non raro gubernandi et docendi provincias se junctas fuisse, deinde scriptores sacros, ubi data opera de munere ecclesiastico loquantur, semper vocolis *διακονεῖν, διακονία, διάκονος* uti, aliisque vocolis, quae ejusdem sunt ponderis. Prae ceteris huc pertinent gravissima illa dicta in Evang. sec. Matth. XX, 25—28, et in Ep. ad Ephes. IV, 11 sqq., quorum posterius haec verba habet: „καὶ αὐτὸς ἔδωκε.... εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Maxime mihi respiciendum videtur, hoc loco Apostolum, ne regentium quidem officio

excluso, - omnia varia munera Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Pastorum et Doctorum, una ministerii notione comprehendisse; dicit enim, Christum ea munera omnia instituisse *εἰς ἔργον διακονίας*. Quapropter etiam ecclesia antiquitus usque ad nostra tempora officium et munus suum semper ministerii nomine affecit, sicuti in libris quoque symbolicis nostrae ecclesiae hac vocola usi sunt eorum auctores.

Equidem non intelligo, qua ratione ab hac descendendum sit voce, quum ea optime id designetur, quod communiter omnibus ecclesiastici officii actionibus inest, et quum re vera in ministerio Verbi et Sacramentorum omnes muneris pastoralis functiones consummentur. Ea autem nominatione relicta caveamus, ne in Romanorum errorem vel etiam in reformatarum ecclesiarum consuetudinem incidamus, eorumque more gubernandi et moderandi potius, quam ministrandi potestatem pastoribus adscribamus. Quum enim multo facilius, ut natura hominum comparata est, ex ministris ecclesiae fieri possint domini ejus et reges, quam ex regibus ministri, eo cautior in denotando officio ecclesiastico practicae theologiae scriptor esse debet, ne faveat illi animi ad regnandum proclivitati, de qua jam Petrus et Paulus Apostoli graviter et severe praemonuerunt in epistolis suis presbyteros et pastores. Libenter concedo, nomine servato minime nos rem ipsam jam assecutos esse*); neque tamen minus respiciendum erit, nomine rejecto eo facilius rem denotatam oblivioni tradi. Cujus oblivionis testes nobis sunt *Schleiermacher* ipse et qui eum sequuntur practicae theologiae cultores, qui in definienda notione et disciplinae nostrae, et

*) Verissima enim et summa consideratione digna sunt haec *Ambrosii* Episcopi verba („de dign. sacerd.“ Cap. III): „Quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstramus; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini; ne sit nomen inane et crimen immane.“

muneris ecclesiastici, maxime eo mihi errasse videntur, quod veram hujus officii originem et naturam nimis neglexerunt.

Quam igitur supra (pag. 38) quaesivimus et constituimus notionem practicae theologiae, ita denique, toto strato fundamento, definiendam et supplendam censemus, ut sit scientia de vita et actionibus ecclesiae, se ipsam per ministerium Verbi et Sacramentorum aedificantis.

Cap. IV.

Dijudicantur systemata recentiora, quibus theologia practica composita est.

Exaedificandae theologiae practicae viae et rationes, quibus recentiores, quos memoravimus, theologi usi sunt, lecturis ex hoc patebunt schemate:

I. Schleiermacher.

A) Doctrina de ministerio ecclesiastico agit de actionibus, quibus ecclesia localis (parochia)

vel aedificatur, vel regitur.

quod fit in cultu publico, unde a) Reguntur vel singuli, unde proficiunt cura animarum sensu latiore, sive

1) Homiletica,

2) Liturgica.

3) Catechetica, una cum

4) doctrina de convertendis proselytis et de propaganda fide inter ethnicos; et

5) cura animarum sensu strictiore.

b) Vel regitur totus coetus parochianus, quem spectat

6) doctrina de ordinanda vita et condendo more christiano.

B) Doctrina de regimine ecclesiastico agit de administranda et gubernanda tota ecclesia, quod fit

1) vel regimine ordinato et 2) vel regimine non ordinato legibus constituto (*gebundenen Kirchenregiment*), quo sive libero (*ungebundenen Kirchenregiment*), quod pertinent exercent

a) jus ecclesiasticum,

a) doctor academicus,

b) disciplina ecclesiastica.

b) scriptor theologicus.

II. Nitzschius.

A) Aliae actiones ecclesiae videntur magis fundamentales et constitutivae: B) Aliae sunt magis conservatrices:

1) Didactica (Homiletica et Catechetica), et 3) Paedentica (cura animarum specialis),

2) Liturgica.

4) Politica sacra.

III. Schweizer.

A) Doctrina de regimine ecclesiastico, sive de actionibus ecclesiae constitutivis.

B) Doctrina de ministerio ecclesiastico, sive de actionibus clericalibus, quarum aliae sunt

magis definitae, aliae magis liberae,

et quidem ita ut spectent

a) vel totum coetum parochianum, unde profluit doctrina de cultu publico: 1) Liturgica, et 2) Homiletica;

b) vel singula membra, unde procedit theologia pastoralis, sive cura animarum

3) legibus constituta, et 4) libera;

c) vel denique eos, qui nondum ad ecclesiam pertinent, unde proficiunt Ha-

lieutica, quae discedit in 5) Catechetica et 6) in doctrinam de propaganda fide.

IV. Liebner.

- A) Doctrina de constitutione ecclesiae: 1) Regimen, 2) ministerium ecclesiasticum.
- B) Doctrina de confessione publica: 3) Symbolica practica, 4) Catechetica.
- C) Doctrina de cultu publico: 6) Liturgica, 6) Homiletica.
- D) Doctrina de disciplina ecclesiastica: 7) Disciplina in genere, 8) cura animarum specialis.

Priusquam singularum doctrinae nostrae disciplinarum dispositionem examinemus,

I. principales totius corporis partes, modumque quo *Schleiermacher* ceterique theologi eas constituerint et definerint, censurae subjiciamus necesse est.

1. Ambas illas practicae theologiae partes, doctrinam de ministerio et de regimine ecclesiae, *Schleiermacher* (l. I. §§ 271. 274. 275) deducit ex discrimine, quod statuit inter ecclesiam localem sive parochiam, et universam ecclesiam sive complexum organicum singulorum coetuum. Licet auctori concedamus, ejusmodi discrimen quodammodo re vera constitui posse, tamen non minus constat, illud ad excolendam practicam theologiam omnino non sufficere. Etiam si non respiciamus, quod *Schleiermacher* ipse concedit, ejusmodi distinctionem in se esse imperfectam et vagam, multo majoris momenti mihi esse videtur, quod illa non in internam ecclesiae descendit naturam, sed in mere externa et empirica, ideoque in falsa de ecclesia sententia nititur. Ecclesia nequaquam tantum pro notione vel nomine generis communi, ex comprehensione singulorum coetuum abstracto, habenda est, sed re vera exstat in singulis coetibus, qualis jam exstabat in prima, etsi minima, consociatione fidelium.

Si igitur profundius ecclesiae natura, non solum facies ejus externa indagatur, luculenter apparet illam oppositionem omni vi propria et veritate carere*).

Sed ponamus hunc distinguendi modum, sumto ab objecto regendo discrimine, in se probabilem et verum esse, ne tum quidem eum ratum habere possumus. Ejusmodi enim dividendi methodus adhiberi nequit, nisi ubi mutato tantum objecto actio semper una eademque manet. Quum vero aliud sit ministerium, aliud regimen ecclesiasticum, illa opponendi ratio minime idonea est ad exstruendum practicae theologiae systema. Ea duce non edocemur de propria utriusque actionis natura, sed tantum de externa agendi directione. Nullum discrimen, sive sumtum est ab objecto, sive a subjecto actionis, sive respicit adminicula, quibus in agendo utitur ecclesia, pro disciplinae nostrae dividendae fundamento haberi licet, quoniam omnibus his viis externam tantum vitae ecclesiasticae faciem tangimus, minime vero in internam ejus indolem penetramus. Testis nobis ipse est *Schleiermacher*.

Quamquam enim initium facit a discrimine constituendo inter ecclesiam universam et localem, ideoque lectorem ad conjecturam adducit, in utraque provincia unam eandemque manifestari actionem, omnemque theologiam practicam duabus absolvi partibus, altera de regenda ecclesia, altera de regenda parochia, tamen in praemissis principiis non constat, sed postea (§ 274) inter regimen et ministerium ecclesiasticum distinguit. Quo facto duplici ratione rem immutavit. Altera enim ex parte in his oculis oppositio illa fundamentalis et primaria inter ecclesiam et parochiam omnino evanuit; altera vero nova in lucem prolata est distinctio

*) Cfr. etiam quae huic *Schleiermacheri* distinguendi rationi optime opposuit *Liebner* l. I. pag. 128 sqq.

inter regimen et ministerium, quam in prioribus paragraphis ne verbo quidem attigit. Quae quum ita sint, auctor ipse a se dissentiens sententiam nostram, modo expositam, quam maxime comprobatur. *Schleiermacher* quidem in eadem paragrapho illam mutationem excusat, sed quae profert argumenta, denuo demonstrant, discrimen illud inter ecclesiam et parochiam parum idoneum esse ad constituendam utramque disciplinam nostrae provinciam^{*)}.

Verumtamen *Schleiermacher* plane desistit a conatu deducendi illas supra dictas provincias ex natura rei ipsius^{**)}; idque suo jure. Nam duce empiria sola, quam amplectitur, ad certum fundamentum non pervenimus. Hinc autem postulatur, ut relicta hac via in medias res descendat theologus, et ejusmodi systema componere conetur, quod legibus cum rei tum scientiae sit adaptatum. Quare etiam *Nitzschius* et *Schweizer* systema *Schleiermacheri* emendare et promovere studuerunt, ita ut prior eorum magis ecclesiae naturam observandam susceperit, posterior scientiae praecepta respicienda sibi proposuerit.

2. Sine dubio *Nitzschius* primus est, qui remotis externis rationibus, in interiorem disciplinam nostrae naturam penetravit, quum pastorales actus ex actionibus ecclesiae vitalibus derivandos existimaverit. Sed in constituendis actionibus

*) Nihilominus iis non assentimur, qui, ut *Marheinekius* (l. l. § 35) has appellationes ipsas improbant, easque rei convenire negant. E contrario eas comprobamus, quum optime valeant et ad propriam utriusque actionis naturam designandam, et ad denotandum reciprocum necessitatis vinculum, quo altera alteri adstricta est. Sed quum in adhibendis iisdem appellationibus cum *Schleiermachero* consentire videmur, ratione, qua moti eas adhibemus, ab eo dissentimus, ut ex posteriore commentationis nostrae parte patebit.

**) Haec enim dicit in annotatione ad § 274: „Nicht als ob es in der Natur der Sache läge, dass dies die Haupteintheilung sein müsste, sondern weil dies dem gegenwärtigen Zustande unsrer Kirche das angemessenste ist.“

ipsis non eadem fruitur fortuna. Jam a plurimis, *Schweizero* (l. l. pag. 12 sqq.), *Marheinekio* (l. l. § 36), *Sackio* („*Stud. u. Krit.*“ 1839, fasc. 2. pag. 270) et *Grafio* (l. l. pag. 236 sqq.), adnotatum est illam, quam statuit distinctionem inter actiones magis fundamentales vel constitutivas, et magis conservatrices, quum vaga et incerta sit, ad exstruendum theologiae practicae aedificium idoneam non esse. Quam difficile sit ejus ope singulas actiones discernere, auctor ipse invitatus probat pag. 18 l. l., ubi Politicam sacram, quam actionibus adnumerat conservatricibus, de methodo constituendae ecclesiae agere docet. Nihilosecius cum theologis supra dictis non consentimus, qui omnino hanc distinctionem rejiciendam censent, quum nostro judicio ei maximum veritatis momentum insit, dummodo alia ratione alioque consilio in doctrina nostra collocetur, atque ad eam excolendam applicetur.

3. Adhibitis et *Schleiermacheri* et *Nitzschii* principiis *Schweizer* peculiari modo disciplinae nostrae partes constituere studet. Distinguit enim cum priore, quem nominavimus, theologo inter doctrinas de regimine et de ministerio ecclesiastico, ita tamen, ut utramque doctrinam alia ratione definiat et utrique alium in theologia practica assignet locum. In disciplina nostra initium faciendum esse praecipit ab actionibus constitutivis, vel iis, ut ait, quibus ecclesia sibi certum clerum instituit, cujus varia negotia deinde in altera doctrinae nostrae provincia exponuntur (l. l. pag. 22—30). Dum ergo *Schleiermacher*, licet rem dubiam reliquerit (l. l. § 276), a ministerio ecclesiastico exorditur, *Schweizer* argumentis comprobare vult, doctrinae de regimine necessario priorem esse tribuendum locum.

Minime vero illi adstipulari possumus, neque in definiendo regimine ecclesiastico, quod angustioribus finibus coër-

cetur, et cujus ingenium et officium evangelicum mihi non satis perspectum et servatum esse videtur; neque, et multo quidem minus in eo, quod priores detulit doctrinae de regenda ecclesia. Mihi quoque multum interesse videtur, quo ordine utraque practicae theologiae pars collocetur; nec vero quemquam dubitare posse censemus, qui naturam ipsam ecclesiae evangelicae inquisiverit. Sicuti enim luce clarius est, practicam theologiam in usum Romanae ecclesiae descriptam, a doctrina de regimine, de constitutione externa, et de ordine ecclesiastico initium capere debere, ita eadem via inita evangelicae ecclesiae natura facillime laeditur. Non enim, ut suo jure docet ecclesia nostra, vera ecclesia christiana adest, ubi hierarchia legitima, vel ejusmodi ordo externus invenitur, sed ubi Evangelium recte docetur; neque incipit ecclesia ab institutis hierarchicis, vel a clero constituto, neque ab ullis aliis institutionibus humanis, sed a vera fide, quam in cordibus sitam fideles ore profitentur. Quapropter evangelicae ecclesiae indoles postulat, ut practica theologia in commodum ipsius exulta a doctrina de ministerio ecclesiastico ortum capiat. Quae vero praemittenda sunt de natura ecclesiae, de necessitate et auctoritate confessionis publicae, et de origine negotiisque ministerii ecclesiastici, minime omnia ad peculiarem disciplinam illam de regimine ecclesiae pertinent, sed cuncta fere in praefatione singulari absolvenda sunt, quae, tanquam prima et introductoria, ut ita dicam, totius practicae theologiae pars, huic ipsi praecedat necesse est.

4. Iisdem permotus rationibus etiam cum *Liebnero* consentire non possum. Quamquam hujus theologi cum in adornanda tota practica theologia, tum in definiendis singulis ejus partibus prae ceteris omnibus maxima sunt merita, quum

primus disciplinas nostras ex interno vitae ecclesiasticae processu derivatas proposuerit, et quum jam multo verius et profundius ecclesiae notionem indagaverit, nec non ad vim et auctoritatem confessionis publicae, omnino fere neglectam, animum adverterit, tamen ejus disponendarum doctrinae nostrae partium rationem et ordinem comprobare nequimus.

Perverso enim ordine ab ipso indicato, exorditur una cum *Schweizero* a doctrina de constituenda ecclesia (de regimine et de ordine ecclesiastico constituendo), addita ratione, quod practica theologia minime ecclesiam nascentem, sed historicam atque jam exstantem spectet*). Argumentum hoc alicujus ponderis esset, si quis putaret, in hac doctrina modo mere empirico instituta et formas ecclesiae, ut hodie sunt, enarranda et describenda esse. Quum vero auctor ipse pag. 135 recte praecipiat, hanc doctrinam agere de vera, eaque ecclesiae forma exstruenda, quae ex principiis derivata et confessioni publicae adaptata sit, non perspicio, quid amplius ratio illa valeat. His enim praemissis disciplina, quam statuit, de confessione publica alteram antecedit necesse est. Accedit insuper hoc, quod ex ejus sententia omnes ecclesiae actus: constitutio externa, doctrina, cultus, disciplina, qui se invicem poscunt et sustinent, omnino pari jure induendi sunt. Inde autem sequitur, quamlibet harum actionum priorem obtinere posse locum; si vero nihilominus una earum omnibus ceteris anteponitur, id jam propter nullam externam rationem, sed tantum investigata natura ecclesiae fieri potest; ex qua apparet, ut jam demonstravimus, ei doctrinae, de qua agimus, primas partes tribui non posse.

*) Cfr. commentat. poster. in „*Stud. u. Krit.*“ 1844, fasc. I. pag. 132 sqq.

Attamen, sicuti jam supra pag. 36 obiter indicavimus, non possumus, quin auctorem laesae naturae ecclesiae evangelicae arguamus, quippe qui cunctis actionibus ecclesiasticis, nullo posito inter eas dignitatis discrimine, parem potestatem tribuendam, easque omnes omnino exaequandas existimet*). Imprimis notandum est, *Liebnerum* non juste statum controversiae proposuisse, quum nequaquam ab altera parte contendatur, cultum, disciplinam, constitutionem et formam ecclesiae meram prae se ferre originem humanam, professionem vero doctrinae merum sapere divinum ortum. Minime. In iis omnibus et singulis junctum invenitur aliquid divini et humani, ita tamen, ut in singulis ratio, quae inter utrumque intercedat, non una eademque sit, vel vinculum, quo singulae actiones Verbo divino et fidei christianae adstrictae sint, non aequae arctum et necessarium sit in omnibus.

Primum enim doctrina habet unicam normam et principalem fontem in Verbo, ubi ecclesiae dilucide firmeque praescripta sunt, quae ad salutem adipiscendam credere, docere, profiteri debeat. Non autem nobis manifestatae et datae sunt eodem codice ullae leges ceremoniales tanquam ad salutem necessariae, de cultu componendo, de adornanda disciplina, de constituenda forma ecclesiae. Idcirco etiam ecclesia omnino libera est in his omnibus rebus instituendis, minime vero in doctrina profitenda; illas mutandi potestatem habet, hanc vero sine salutis periculo commutare non potest,

*) Haec enim leguntur l. J. pag. 119: „Es ist also falsch die so oft ausgesprochene Ansicht, dass die Verfassung ganz nur auf Seite des menschlichen Thuns falle,.... und wenn auch nicht etwas Willkürliches sei, doch nicht zur göttlichen Nothwendigkeit der Kirche (wie z. B. das Bekenntniss, der Cultus) gehöre.... Das Verhältniss des Göttlichen und Menschlichen ist bei allen Momenten des kirchlichen Lebens ganz das eine und selbe.“

licet eam fusius explicet, magis magisque excolat et promoveat necesse sit.

Deinde doctrina in se continet objectum fidei proprium, eaque repraesentat, quae omnibus salvandis credenda sunt; ceteras vero actiones in eandem juris et dignitatis conditionem recipere non possumus, nisi cum Romanis doceamus, neminem salvum fieri, qui fide non amplectatur certam vel cultus administrandi, vel ecclesiae regendae formam, a Christo et Apostolis, ut opinantur, sancitam.

Denique animadvertendum est, omnes ecclesiae viventis et agentis actiones pendere ex confessione doctrinae publica, quae iis omnibus tanquam fundamentum substrata est, dum ipsa solo nititur Verbo. Quae quum ita sint, clarissime apparet, alio modo doctrinam ceteris actionibus exaequari non posse, nisi eo, quod vel de auctoritate illius aliquid detrahatur, sicuti non raro nostris fit temporibus, vel quod Romanorum more reliquae actiones immerito ad fidei articulorum dignitatem evehantur. Quum vero utrumque et Verbo divino et ecclesiae evangelicae contradicat, in eadem cum *Liebnero* sententia, quoniam erronea nobis videtur, stare non possumus; sed potius doctrinam, omnes ceteras ecclesiae viventis functiones superantem, ab iis probe discernendam, eique primum assignandum locum aestimamus*).

Nihilominus non contendimus disciplinam formamque ecclesiae ex mero arbitrio humano proficisci, vel nihil commune esse fidei cum illis; habent enim normas suas, certaque elementa et principia, quae in Verbo et in confessione ecclesiastica nituntur. Neque vero negligendum est, secundum

*) Sicuti etiam in Act. App. II, 42 de prima ecclesia scriptum legimus: ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων κ. τ. λ.

doctrinam Protestantium professionem fidei directam, primariam et supremam esse fidei manifestationem, formam autem et constitutionem ecclesiae indirectam et secundariam, i. e. ejusmodi ecclesiae repraesentationem, quae jam doctrinam fidei sibi poscat, neque hac non antecedente in lucem prodire possit*). Quapropter etiam, ut *Liebner* ipse l. l. pag. 82 agnoscit, vera ecclesiae unitas minime pendet ex consensu traditionum humanarum, sive rituum et ceremoniarum; sufficit enim ad eam manifestandam „consentire de doctrina Evangelii.“

Eidem errori quoque, in quem *Liebner* incidit, adscribendum est, quod inter ceteras disciplinas, novam in theologiam nostram introduxit, Symbolicam, quam vocat, practicam, cui, ne omnino a ceteris partibus discreparet, Catecheticam adjunxit. Quamquam cum illo judicamus, in doctrina nostra utique agendum esse de natura, necessitate et auctoritate confessionis publicae, tamen singularem ceterisque parem disciplinam inde condendam negamus; primum, quia in confessione publica, *Liebnero* ipso consentiente**), non solum Catechesis, sed omnes ceterae actiones pari modo sitae sunt et versantur; deinde, quia theologiae practicae non est normas constituere, secundum quas unusquisque pastor sibi confessionem doctrinae componat, sicuti ejusmodi proponit regulas de exercendis actionibus cultum publicum, homiliam, catechesin, disciplinam cet. spectantibus.

*) Quam rem optime et prolixius exposuit inter alios *Stahlius* in libro suo: „*Die Kirchenverfassung nach Lehre und Recht der Protestanten*.“ Erlang. 1840, pag. 56 sqq.

**) L. l. pag. 83 et 134: „*Das Bekenntniss ist nothwendig das Erste, denn es ist als diese Objectivität der Kirchenlehre, das Bewusstsein von dem absoluten Lebensgehalt und Zweck der Kirche, das Entscheidende, und alles Weitere: das Katechetische, Liturgische, Homiletische, Disciplinarische, Seelsorgerische, Bedingende.*“

Quae vero omitti non possunt in practica theologia quaestiones de symbolorum natura, fine et potestate (cfr. l. l. pag. 84 et 85), partim absolvuntur in doctrina de regimine, potissimum autem pertractandae sunt in illa, quam supra jam indicavimus parte priore, quae velut vestibulum quoddam ad doctrinam nostram aditum patefacit.

Neque probari potest methodus singulas disponendi partes, qua auctor una cum *Nitzschio* usus est, sumta ab adminiculis, quae ecclesia adhibet in suam ipsius aedificationem. Licet mihi cum illo persuasissimum sit, theologiam practicam extrui non posse, nisi indagato et explanato processu vitae ecclesiasticae interno, quum doctrina nostra nihil aliud sit, nisi descriptio et imago agentis et viventis ecclesiae, tamen singula et praecipua momenta hujus processus nimis externa ratione explicare, et ne hanc quidem accurate exponere nobis videtur, qui existimat, singulis illius vitae momentis ipsis respondere doctrinam, cultum, disciplinam. Propius enim ad rem accedentes facile perspicimus, unamquamque actionum ecclesiae vitalium pateferi simul et doctrina, et cultu, et disciplina. Quod jam apparet, si ex. c. ordinem veteris ecclesiae catechumenos faciendi inspiciamus, ex quo elucet eam non solum docendo, sed etiam agendo et erudiendo catechumenos suos instituisse. Etsi igitur concedamus, quod quidem concedi non potest, eandem et omnino parem doctrinae, cultui et disciplinae potestatem et dignitatem esse, jam eam ob causam methodo a *Liebnero* initae assentiri non possumus, quia ea duce tres illae, quas memoravimus ecclesiae agentis functiones nimis externa ratione distinguuntur et separantur.

II. Jam vero animum ad systemata ipsa diligentius perscrutanda et examinanda advertamus oportet; ita quidem, ut deinceps doctrinas de ministerio et de regimine ecclesiastico, quales dicti theologi vario modo extruxerint, censurae subjiciamus.

A. Doctrina de ministerio ecclesiastico.

1. *Schleiermacherum* in excolenda de ministerio ecclesiastico doctrina totum ejus orbem descripsisse, omnesque muneris sacri functiones, nulla principali omissa, enarrasse constat. Imprimis ei laudi ducendum est, quod vinculum, quo Homiletica cum Liturgica copulatur, disruptum denuo restituit, et quod primus doctrinam de propaganda fide inter ethnicos in practicam theologiam, licet non sine exceptione (l. I. § 298), introduxit. Si quis vero systema, quod ille proposuit, accuratius examinaverit, mox intelliget, singulas ejus partes neque interna necessitate deductas, neque inter se, prout natura uniuscujusque poscat, distincte sejunctas, neque illo ordine et progressu dispositas esse, quo re vera procedant seque excipiant.

Ubi enim duce experientia distinguit inter cultum et morem christianum (§ 269), indeque aedificandae et regendae parochiae actiones deducit (§ 279), jam ipse concedit, hanc oppositionem incertam et vagam esse. Quapropter neque eam ipsam, neque appellationes, quibus in ea designanda usus est, comprobare possumus. Altera enim ex parte cultus, quum more christiano constitutus sit, hac ipsa continetur notione; altera vero *Schleiermacher* mori adnumerat ejusmodi quoque actiones, quas, ut Catechumenorum institutio, sive sunt baptizati, sive baptizandi, sine certis actibus liturgicis ecclesia neque pie exercere, neque

plane absolvere potest. Deinde notandum est, ecclesiam omnibus actionibus suis se ipsam aedificare, non solum cultu publico; quare haec appellatio de cultu solo usurpari nequit. Pari modo regendi vocula non est idonea ad posteriorem ministerii ecclesiastici provinciam designandam, quum partim nimis arcta sit, neque probe omnium illarum functionum naturam indicet, quas *Schleiermacher* in doctrina de cura animarum comprehendit, partim nimis lata, quoniam disciplinae nostrae terminos excedit, et in regiminis provinciam transit. Inde apparet, quam recensem distinctionem, interna necessitate ex re ipsa procreatam non esse.

In universum igitur negandum est, doctrinae nostrae considerandae et disponendae methodum, a *Schleiermachero* propositam, nos adducere in medias disciplinas ipsas; quam ob causam etiam inter se accurate distingui nequeunt.

Licet optimo jure meritoque Homileticam et Liturgicam in unam doctrinam de cultu publico copulaverit, tamen hujus nexus rationem idoneam non reddidit, nisi quis eam in § 286 invenire velit, ubi lectores ad usum empiricum delegantur*). Perinde parum edocemur de natura sermonis sacri vel liturgiae, si utraque actio nobis tantum innotescit ex ratione definita vel non definita, quae inter eas et subjectum agens intercedit. Verumtamen ne hanc quidem rationem juste constituit *Schleiermacher*, quum in utroque negotio simul alia sint, quae liberae ministrorum producendi potestati relicta, alia, quae legibus ordinata et definita sunt**).

*) „Fast überall finden wir in der evangel. Kirche den Cultus aus zwei Elementen bestehend, dem einen, welches ganz (?) der freien Productivität dessen, der den Kirchendienst verrichtet, anheimgestellt ist, und einem andern, worin dieser sich nur (?) als Organ des Kirchenregiments verhält.“

***) *Schweizer* l. I. pag. 36 recte dicit: „Ganz frei ist keine Thätigkeit (ministerii), weil sie sonst aus dem Gebiete positiven Dienstes hinausfiel;“

Nihilosecius doctrina de aedificanda parochia melius disposita est, quam posterior pars, quae regendam parochiam spectat. Ex hac luculenter apparet, quoniam illa externa disponendi methodo deducamur, et quam noxiam inter se exerceant vim mutuam praxis et doctrina, ubi haec, neglecta idea rerum, experientiam nimis imitetur. Catechesis, institutio rudis ethnicorum multitudinis, cura animarum specialis, haec omnia, quae inter se maxime differunt, negotia omnino confunduntur, uniusque doctrinae jugo subjunguntur; et quidem tantum propterea, quia, ut auctor existimat, omnes hae actiones una copulantur directione ad singulos homines regendos, licet illi in variis versentur conditionibus. Neque vero hoc dividendi fundamento in re nostra uti non possumus, quum ex. c. in institutione catechetica nondum adulti minime tanquam singuli solum sint respiciendi, sed etiam tanquam peculiaris totius ecclesiae pars et societas, quae communi quoque institutione, cultu et disciplina erudienda sit*). In universum idoneam non perspicio rationem, qua per motus *Schleiermacher*, quum notionem curae animarum tam lata significatione jam sumserit, cultum publicum ex ea segregaverit. Hac enim inita via cuius aptius esse videatur, omnem doctrinam de ministerio ecclesiastico una illa

ganz gebunden ebenfalls keine, weil der Diener so blosses Organ fremden Willens würde. . . . In allen Theilen des Kirchendienstes müssen daher beide Elemente bleiben in irgend einer Mischung, sonst wäre der Theil kein Abbild des Ganzen.

*) Recte igitur *Nitzschius* l. l. pag. 17 dicit: „est tamen doctrinae (homileticae et catecheticae) cum liturgia ea communitas, ut utraque actione coetus quidam universus afficiatur.“ Cfr. insuper, quae optime disseruntur hac de re *Palmer* in: „*Evang. Katechetik.*“ Stuttg. 1844, pag. 38–40; et, quod usum veteris ecclesiae attinet, *Hoeflingius* in libro jam supra commemorato pag. 564. Quare assentiendum non est *Schweizero*, l. l. pag. 48 iudicanti: „dass die jetzt noch in den Cultus hineinschillernde Stellung der Katechese eben durch die von richtigeren Ideen (?) ausgehende Theorie aufzuheben sei.“

notione ita complecti, ut generalis animarum cura a speciali et specialissima, ut majorum morem sequamur, distinguatur.

Quo jure auctor doctrinae jam supra a nobis laudatae de propaganda fide inter ethnicos, eam huic priori parti, quae actiones parochiam spectantes continet, adnumerare, eamque cum speciali animarum cura componere poterit, non intelligo. Utique quidem multo minus eam in posteriorem theologiae practicae provinciam introducere potuit*); sed ex hac magna difficultate, qua ejus systema laborat, jam ei perspicendum erat, illud non esse nixum in re ipsa. Attamen minime cum *Grafio* consentimus, qui l. l. pag. 229 sqq. contendit, illud officium neque cum catechesi componi posse, neque omnino recipi in theoriam de ministerio ecclesiastico. Sufficiat contra eum meminisse, in veteri ecclesia utramque actionem unam eandemque fuisse; et hodie quoque pastorem ecclesiae ex ethnicis congregatae simul evangelistarum officio fungi posse. Quare *Schleiermachero* assentimur, ita tamen, ut primum disciplinam, de qua agimus, una cum Catechetica ab animarum cura segregemus, et deinde, ut aliam ingrediamur viam adornandi theologiae practicae systema, ne in easdem cum eo incidamus angustias.

Curam animarum idem theologus nimis arbitrariis definit limitibus, quum eam (§§ 290 et 299 sqq.) tantum eos spectare doceat, qui a recta via aberraverint. Jam vero *Nitzschius* l. l. pag. 17 optime monuit, eam omnia ecclesiae

*) Hoc *Sackius* in „*Stud. u. Krit.*“ 1839, fasc. 2. pag. 576 faciendum esse existimat. Sed non satis mihi videtur una cum aliis theologis discernere administrationem harum actionum ab officio evangelistarum ipso. Dum illa sane pertinet ad doctrinam de regimine ecclesiastico, de hoc negotio agendum est tantum in disciplina de ministerio ecclesiastico.

membra amplecti, quum in singulis civibus fructus quaerat ecclesia aedificationis publicae, ideoque non solum peccantes corrigat et errantes in viam reducat, sed etiam sana et salva membra sua confirmet et promoveat*).

Quam denique *Schleiermacher* § 303 (cf. § 290) doctrinam proponit de adornanda vita et condendo more christiano, eam parum sufficientibus rationibus fulcire mihi videtur. Partim enim ea, quae in hac doctrina tractari vult, ad curam pertinent animarum recte definitam, partim in doctrina de regimine ecclesiastico exponuntur, quod auctor ipse § 303 concedere videtur.

Si quis uno comprehendet obtutu totum hoc, quod perillustravimus ministerii ecclesiastici adornandi systema, facile intelliget, ordinem, quo singulae partes ab homiletica usque ad extremam se excipiant, nimis arbitrarium esse. Neque aliter fieri potuit, quum minime ex interno vitae ecclesiasticae progressu singulae derivatae sint disciplinae.

2. Hanc viam rectam primus ingressus est *Nitzschius*, qui potissimum in promovenda unaquaque partis prioris disciplina multum profecit, tum constitutis illarum notionibus directricibus, quum derivatis inde principiis fundamentalibus. Aedificium vero doctrinae nostrae, quod extruxit, licet simplicitate commendetur, multis tamen premitur incommodis, jam a *Grafio* et *Schweizero* notatis; maxime illo, quod supra (pag. 79) in examinanda *Liebneri* sententia indicavimus.

Tria sunt, in quibus auctor a recta via, quam *Schleiermacher* jam designaverat, nobis aberrasse videtur. Primum, quod disciplinam modo introductam de propaganda fide christiana denuo ex ambitu doctrinae nostrae segregavit; deinde,

quod, separatis de liturgia et homilia theoriis, earum posteriorem cum Catechetica conciliavit; denique, quod Paedenticam, eamque sejunctam a ceteris ministerii ecclesiastici officiis, in unam coëgit provinciam cum Politica sacra. Quum autem ejusmodi rerum dispositio neque ecclesiae agenti et viventi respondeat, neque propriam singularum actionum naturam servet et indicet, *Nitzschius* nobis dissentientibus assentiatur necesse est, quippe qui in observationibus laudatis juste monuerit, unamquamque earum disciplinarum, quae ad totam et integram theologiam practicam pertineant, pro rata parte tractandam esse, optimeque praeceperit, pastorales actus ex ecclesiae actibus vitalibus derivandos esse.

3. Quamquam *Schweizer* haec vitia vitavit, quum, neglecta tamen disciplina ecclesiastica, totum theologiae practicae orbem descripserit, eamque quasi corpus in se bene ordinatum et compositum adumbrare conatus sit, tamen eum in eisdem errores inductum video, quos aliis theologiae practicae cultoribus exprobrat, ipsumque praecepta negligere, quae optima certissimaque esse vult. Quam proposuit systematis adornandi rationem, ea tam parum ex propria Christianismi vel potius ecclesiae evangelicae natura progenita est, ut recte mihi judicasse videatur anonymus ille censor hujus opusculi*), qui dicit, ut propriis ejus verbis utar: „*Dass auf dieser Grundlage eine praktische Theologie eben so gut für eine neuisraelitische, oder rein rationalistische Gemeinde construiert werden könnte.*“

In eo maxime sibi non constat auctor, quod, dum sibi ipsi praecipit, omnes disciplinas ex actibus ecclesiasticis

*) Ejusdem etiam sententiae sunt *Schweizer* l. l. pag. 57, et *Liebner* in comment. prima pag. 655.

*) In *Tholuckii* jam supra commemorato „*Litter. Anzeiger*“ 1836. Nr. 71. pag. 570.

deducendas esse, eas tamen ex agentibus hominibus derivat*), vel accuratius ex ratione magis minusve libera aut definita, quae inter actiones ipsas et clerum agentem intercedit. Quapropter omnis ejus doctrina de ministerio ecclesiastico sita est in oppositione, quam statuit inter actiones magis definitas et magis liberatas. Sicuti vero, *Schweizero* adstipulante, quaeque disponendi methodus, sumto a variis objectis, quae spectant actiones, discrimine, non in internam rei ipsius descendit naturam, ita quoque idem valet de ipsius methodo in agentibus subjectis fundata. Altera via alteri proxima est; atque inita altera, in alteram deducamur necesse est. Quemadmodum etiam *Schweizer* impedire nequit, quo minus et ipse ad viam priorem, quamvis a se improbatam, confugiat (pag. 37 sqq.).

Neque hoc mirandum est; nam illa supra dicta oppositio, quam pro fundamento posuit, quum sit tantum categoria formalis, in se ipsa nimis sterilis et inops est, quam ut ex ea sola, licet *Schweizer* aliter sentire videatur, omnes ecclesiae viventis actus, ut merentur, deduci et describi possint. Nam ea duce primum externam tantum speciem et formam actionum, eamque nimis leviter attingimus; de propria vero uniuscujusque et omnium indole naturaque parum edocemur. Itaque ex *Schweizeri* adumbratione cognoscimus, ecclesiae ministrum tum in cultu administrando, tum in cura animarum gerenda et in catechumenis instituendis, in ceterisque actibus simul duabus uti speciebus, una magis voluntaria, altera magis praescripta; quae vero hae actiones ipsae sint, unde

*) In hanc rerum commutationem *Schweizer* potissimum incidit l. l. pag. 34: „Eine Eintheilung des Kirchendienstes — ait — ist nur zu suchen im Begriff des positiven Clerus, also (?) in der Thätigkeit selbst“; ac si clerus ipsa esset actio, non vero agens tantum ecclesiae membrum.

profluant, quo constant, frustra quaerimus, nisi quod aliqua ex parte haec nobis patefiunt ex objectis, ad quae singuli spectant actus. Quare auctori sua ipsius verba in mentem revocamus, pag. 35 dicenti: „Man kann lebendige Thätigkeiten nicht von irgend aussen woher theilen, etwa nach Kategorien, was nur hiesse, die ungetheilt bleibende Thätigkeit auf verschiedene Begriffe und Objecte in Bezug setzen“; eique objicimus, quae pag. 12 non pari jure *Nitzschio* opposuit: quamque actionem secundum internas ejus rationes non dividi, etsi luculenter demonstratur, eam partim liberam, partim legibus definitam esse.

Deinde hac disponendi ratione duce facillime eo pervenimus, ut quae actionibus tantum adhaereant, respecto subjecto agente, nimis exaggeremus, iisque justo majorem potestatem tribuamus, ea vero, quibus actio constat, et in quibus omnis ejus vis posita est, extenuemus et negligamus. Idcirco facile ex *Schweizeri* judicio ecclesia actiones solum ob eam causam manifestare videri possit, ut oppositionem eorum, quae libera et quae praescripta sunt omnibus, quantum valeat, modis et numeris patefaciat et absolvat. Quam perversam sententiam tueri, ut equidem crediderim, auctori in mentem non venit.

Verumtamen in disponendis et definiendis singulis disciplinis, ea, de qua disputamus, oppositio vim noxiam exercuit. Ut eam foveat et servet, jam curam animarum legibus adstrictam et liberam distinxisse mihi videtur*); multo magis autem ob eam tuendam catechizandi naturam et officium laesit. Quae quum ita sint, non pos-

*) Quam distinctionem ex justis rationibus jam improbaverunt *Zyro* (*Stud. u. Krit.* 1837, fasc. 3, pag. 714), *Sackius* (ibidem 1839, fasc. 2, pag. 575), et *Grafus* (l. l. pag. 252).

sumus, quin ejus theologiae practicae adumbrandae systema pulchrius quam verius habeamus*). Reliquum est, ut propius ad ea accedamus, quae parum firma et idonea de necessitate liturgiae et de utraque Haliuticae, quam vocat, parte exposuit.

Quamquam ecclesiae Lutherana et reformata in cultu administrando diversum sequuntur morem et formam, tamen in eo consentiunt, quod maxime illam sententiam, tanquam Romanam, respuunt, quam *Schweizer*, praecunte *Schleiermachero* l. l. § 318, defendit**), ad unitatem ecclesiae exprimendam opus esse praecipue una eademque cultus publici forma et administratione. Ecclesia nostra, etsi rerum liturgicarum consensum quendam magni aestimet, eumque in ecclesiis suis et cum vetere ecclesia servare studeat, nunquam tamen conspirationem in traditionibus et institutis humanis iis rebus adnumeravit, quae vel necessariae essent ad unitatem ecclesiarum constituendam et manifestandam, vel quibus auxiliis, ut hodie plurimi opinantur, turbata sive amissa unitas in integrum restitui posset. Hoc jam inde apparet, quod *Lutherus* ipse duplicem cultus administrandi formam, majorem et minorem proposuit, quarum altera magis, altera multo

*) „Wir dürfen also sagen, — recte judicat *Sackius* l. l. — dieses Theilungsprincip sei vom Verfasser mehr künstlich seinen drei Haupttheilen angepasst, als wahrhaft in der Natur der Sache gefunden worden.“ Quocum consentit *Gräsius* l. l. dicens: „Die verschiedenen Gradunterschiede des mehr Freien und Gebundenen, und die darauf gegründete Anordnung der einzelnen Disciplinen stellen sich uns mehr oder weniger als willkürliches Spiel dar.“

**) L. l. pag. 39 haec leguntur: „Die Gemeinschaftlichkeit des Liturgischen (ist) ein wesentliches Band, welches die Einheit der Kirche im Cultus ausdrücke und repräsentire, ein willkommenner Ersatz (?) für die als symbolisch zurückgetretenen Confessionsschriften, welche einer polemischen Zeit die natürliche Form waren, den gemeinsamen Typus des Glaubens auszudrücken.“ Attamen, notandum est, ecclesiam non certis quibusdam temporibus, sed semper inde ab initio communem fidei suae imaginem imprimis in confessione publica expressisse.

minus Missam Romanam imitatur*); unde duplex quoque in universum liturgiarum ordo exortus est, prout in singulis terris et urbibus, huic religioni addictis, haec vel illa formula recepta est**). Attamen vera fidelium unio et communio neque proprie manifesta fit, neque procreatur actibus et ritibus liturgicis, hominum consensu institutis, sed imprimis confessione publica, tanquam propria et necessaria fidelium tessera, qua deficiente etiam quaesita rerum liturgicarum unitas produci nequit. Quum vero jam supra hac de re disseruerimus, sufficiat ea, quae ibi indicavimus, in mentem revocare, et lecturis ex commentatione *Liebneri* posteriore illa admovere verba gravissima, in quibus causam nostram optime exposuit***).

*) Priorem anno 1523 in: „Formula missae“, posteriorem tribus annis post in: „Deutsche Messe und Ordnung des Gottesdienstes.“

**) Cfr. inter alios *Loehius* in: „Sammlung liturg. Formul.“ fasc. 3, pag. 5 sqq. et 29 sqq.

***) L. l. pag. 81 sqq. haec leguntur: „Mit dem Bekenntniss haben wir wirklich ein Erstes. Darauf legen wir nun hier noch einmal recht stark den Accent. Alles Andere kann noch hinweggedacht werden, ohne die Gemeinde damit nothwendig als schon wirkliche aufzuheben, oder das einzelne Gemeindeglied als schon wirkliches Gemeindeglied. Im Bekenntnisse ist die Gemeinde schon objectiv historische Gemeinde, ob sie auch nicht sich concret versammelte. So könnte z. B. eine Gemeinde einmal ganz in der Diaspora existiren, wäre es nur unter dem bestimmten Bekenntnisse, so hätte sie darin fortwährend ihre objective Einheit, ihr Gemeinde-Sein, so sehr es sie auch zum Cultus u. s. f. drängen müsste. Denkt man aber das Bekenntniss hinweg, das ist doch den bestimmt ausgesprochenen kirchlichen Zweck, Lehr-, Glaubensgehalt, so ist nichts mehr, was sie objectiv historisch zusammenhielte. Sagt man: Geist, Glaube; so gilt es eben die Bestimmtheit, den wirklichen Gedankeninhalt. Sagt man: Wort und Sacrament, so ist das Bekenntniss grade die bestimmte Auffassung derselben. Das Bekenntniss ist das oberste Einheitsband der Kirche. Sofern z. B. irgend noch von der evangelischen Kirche gesagt werden kann, dass sie als solche bestimmte historische Existenz, wirkliche Einheit hat, so hat sie diese durch die verschiedenen Landeskirchen hindurch mit so mannichfaltigem Cultus, Verfassung u. s. w. zu oberst in ihrem Bekenntnisse, in welchem sie sich ihr objectives Bewusstsein gegeben hat. Wenn man die Bestimmtheit und Einheit der Kirche vor Allem im Cultus sucht, so ist dies ein

Neque magis comprobari possunt, quae *Schweizer* de halieutica*), quam vocat, disciplina proponit, cui Catecheticam et de propaganda fide inter ethnicos doctrinam subjungit. Jam primum rationem, ex qua hos ecclesiae actus deducit (cf. l. l. pag. 43 et 46), quippe quae nimis externa et trita sit, rejiciendam esse censemus. Non enim ecclesia has exercet actiones, quia perpetuam jacturam membrorum novis membris compensare debet, sed obsequitur certo mandato Dei, neque non potest, quin Verbi divini et salutis inde profluentis, quibus ipsa fruitur, omnes, quantum potest, gentes participes faciat. Sed vel posita illa ratione, inde institutio catechetica tantum derivari posset, minime vero delegatio Evangelistarum ad omnes homines, qui nondum luce Evangelii illustrati sunt.

Dum autem secundum hanc *Schweizeri* rationem ethnicorum institutio re vera supervacanea fit, altera ex parte Catechetica non probe ab illa distinguitur, et proprie omnino ex theologia practica excluditur, concessa illa definitione, quam auctor (l. l. pag. 43 et 48) de universa halieutica actione proponit, dicens, eam omnes spectare, qui

Missverständnis. Was die kirchliche Gegenwart betrifft, welche durch diese vielgehegte Meinung vornehmlich gerettet werden soll, so ist die Einheit im Cultus einmal zum grossen Theile gar nicht vorhanden, oder, sofern man sich daran halten muss, ist es nur ein Palliativ... Das Bekenntniss ist es vielmehr, was sich der Cultus zu seinem wahrhaft gehaltvollen und einheitlichen Bestehen überall schon voraussetzt. Denn das Bekenntniss erweist sich sodann auch darin als das Erste, dass davon alles Weitere innerlich und wesentlich abhängt, bedingt ist... Diese Priorität des Bekenntnisses bezeugt auch jeder Rückblick in die Geschichte.“

*) Jam *Grafius*, l. l. pag. 253, recte monet, hoc nomen, quo finis agendi respiciatur, aptum non esse, quum ceteris appellationibus, quibus singulae denotentur disciplinae, non respondeat. Eandem ob causam quoque Apostolica parum apte nominari mihi videtur doctrina de propaganda fide. Fortasse Evangelisticae nomen quam maxime congruat et rei et ceteris disciplinarum nominibus.

nondum ad coetum christianum pertineant. Infantes enim, qui baptismi gratiae participes facti sunt, jam pertinent ad ecclesiam, quamquam nondum modo explicito, ut adulti, fidem habent, atque ejus tantum pro viribus suis sibi conscii sunt. Quare vel ex hac disciplina, qualem statuit *Schweizer*, Catechetica removenda est, vel si nihilominus retinetur, hoc fieri nequit, nisi maxime neglecta vi atque dignitate et Verbi divini et Baptismi ipsius*), atque rejecto unanimi judicio totius ecclesiae christianae. Haec enim semper summo jure Catechumenos suos, potissimum eos, qui jam baptizati erant, Christianos existimavit, quos tamen instituendos curavit, donec ad firmam et maturam fidei cognitionem pervenirent. Quum autem tota causa per se maxime sit perspicua, nullaque de ea sub iudice lis exstet**), necesse non est, eam fusius explicemus. Unum adhuc addamus oportet, *Schweizeri* sententiam non, ut opinatur, ex idea Catechesis christianae profluxisse, sed partim ex falsa de Baptismo sententia, partim inde, quod ecclesiasticam puerorum institutionem cum scholastica more consueto confuderit (cf. l. l. pag. 49), et quod omni rejecta historiae et experientiae auctoritate, meram secutus theoriam, omnino a recta via aberraverit.

*) „Es liegt in dieser Ansicht — recte ait *Zyro* l. l. pag. 719 — eine solche Negation der Realität der Kirche verborgen, dass wir unmöglich glauben können, unser Freund habe dieses im Ernste gemeint.“ Nihilominus *Schweizer* postea in commentatione de construenda theologia pastorali („*Stud. und Krit.*“ 1838, fasc. 1. pag. 32 et 33) hanc suam sententiam defendere et probare studuit, ita tamen, ut Baptismum omni propria vi et dignitate sacramentali privaverit. Quum vero infantes baptizati gratia divina operante regenerati sint, *Grafto* assentimur, l. l. pag. 253 judicanti: „Die Katechumenen dürfen den Ungläubigen nicht, wie *Schweizer* thut, als wären sie Wilde, die eingefangen werden müssen, gleichgestellt werden.“

**) Prae ceteris conferri possunt *Marheinekius* (l. l. § 292); *Kraussoldius* („*Katechetik.*“ Erlang. 1843. §§ 7 et 8); *Palmer* (l. l. pag. 18 sqq. et 74 sqq.); et *Hoeflingius* (l. l. §§ 22 et 25).

Propagandae fidei actio, ad quam examinandam per-
gimus, nequaquam unice docendo plane absolvitur, sed etiam
omnes agendi modos requirit, quibus vivens ecclesia utitur,
et liturgicos et paeduticos*). Inde jam apparet, eam certis
legibus non minus adstrictam esse, quam catechesin, neque
inter utramque discrimen, quale *Schweizer* proposuit, statui
posse; nisi quis imperfectam ineptamque praxin hodiernam
tueri velit, quae tamen ab auctore ipso pag. 49 jure im-
probatur. Neque recte doctrinam nostram definivit, quum
eam, ut videtur, res evangelisticas spectare existimet, qua-
tenus earum particeps sit populus Christianus, non vero
officium Evangelistarum ipsum, de quo, ut equidem censeo,
data opera in hac doctrina agendum erit. Si denique *Schweizer*
eidem disciplinae alteram de tractandis Convertendis et Pro-
selytis adjecit, jam a *Grafio* (l. l. pag. 352) et *Sackio* (l. l.
pag. 577), quibuscum consentimus, adnotatum est, eam, re-
specta ejus propria indole, multo majore jure Catecheticae
adjungendam esse.

Quum jam supra *Liebneri* practicae theologiae ex-
struendae methodum diligentius examinaverimus, reliquum
est, ut absoluta censura, cui varia theologorum systemata
de officiis ministerii ecclesiastici ordinandis subjecimus,
animum advertamus

B. ad doctrinam de regimine ecclesiastico.

Praecipue nobis respiciendus erit *Schleiermacher*,
quum ceteris, quibuscum disputamus, theologis non pla-
cuerit prolixius sententiam suam de disponendis disciplinae

*) Cfr. etiam, quae *Hoeftingius* optime monet in libro laudato pag. 563 sq.

nostrae partibus exponere, excepto tamen *Nitzschio*, cui
maxime ex parte assentimur.

Jam a *Nitzschio* hic, quem nominavimus, doctrinae
nostrae conditor meritis laudibus ornatus est propterea,
quod primus nostra aetate theologiam practicam sic ador-
navit, ut sine Politica sacra, quam fere omnino neglectam
in doctrinam nostram magna gravitate introduxit, esse plane
non possit. Ad rem ipsam accedentes, omnia omnino com-
probare possemus, quae *Schleiermacher* §§ 309—311 ex-
posuit, nisi nonnulla vel addenda vel accuratius definienda
essent; cujus generis potissimum haec tria sunt.

Primum mihi *Schleiermacher* minime justum initium
doctrinae nostrae fecisse videtur, quippe qui empirico modo
statim a regimine, ut hodie exstat, exordiat, remotis omni-
bus quaestionibus praeviis. Oppositio, quam statuit inter
regimen ecclesiasticum et singulas parochias, nequaquam
primaria, eaque habenda est, in qua regimen ipsum nitatur;
sed potius illa alia, quae inter ecclesiam et parochias
intercedit, ex qua prae ceteris justa potestatis ecele-
siasticae natura derivanda, propriaque ejusdem sedes con-
stituenda est, ut demum ex principiis ecclesiae evangelicae
demonstretur, quo modo regimen ecclesiasticum gerendum
et componendum, cui clavus imperii demandandus, et quae-
nam ecclesiae regendae et constituendae forma potissimum
ejus ingenio apta et temporum opportunitati idonea sit.

Sed *Schleiermacher* hac in re a nobis discedit, quum
deinde § 311 existimet, theoriam nostram eo modo exco-
lendam esse, ut omnibus ecclesiae regendae formis accom-
modari possit. Libenter sane concedimus, ecclesiam, quum
divina sustentetur et conservetur voluntate et potestate, con-
sistere et vivere posse sub omnibus formis, iisque quam

maxime ineptis, ut tota ecclesiae historia usque ad nostra tempora jam luculenter demonstrat; neque contendimus eam jure quodam divino certae et immutabili formae adstrictam esse. Ut vero vigeat et floreat, idonea constitutione et forma carere nequit; quia experientia teste facile perspicimus, variis his formis inesse quandam vim statum ecclesiae vel depravandi vel emendandi. Neque minus constat formam ecclesiae omnino pendere ex principiis, in quibus haec ipsa sita est; illamque faciem esse externam, quae ab interna ecclesiae natura et vita procedat. Inde autem sequitur, alias formas omnino alienas esse a prospera ecclesiae valetudine, alias magis minusve ad eam conservandam accommodatas. Quenam vero ex his variis formis ceteris anteponenda sit, jam non arbitrio vel casui relinqui potest, sed theoria et experientia ducibus dijudicandum erit. Quam ob causam doctrinae nostrae non est, quibuslibet formis favere, sed remotis alienis, principia et lineamenta ejus adumbrare formae, quae naturae ecclesiae respondeat, ejusque saluti prospiciat. Licet res difficillima sit, jam propter varias condiciones externas, quibus ecclesia pro ratione temporum, terrarum et locorum objecta est, tamen id saltem agere debet theoria, ut attentis oculis finem propositum contempletur, atque simul diligenter caveat, ne immutabilia ecclesiae fundamenta violentur. Prius illud *Schleiermacher* probe respexit, hoc vero posterius parum servavit; quod denique a nobis prolixius demonstrandum est.

Aedificium enim constitutae ecclesiae, quod quidem ille pulchre et artificiose adornavit et composuit, et in quo regiminis ecclesiastici functiones cum actionibus singulorum coetuum mutuo nexu conjunctas esse debere optime docuit, nimis in aëre suspensum esse videtur, quum non satis certis

firmisque superstructum sit fundamentis. Hoc factum non esset, si eandem impendisset aedificator cautionem et curam in ponendis et servandis conditionibus, sine quibus nulla vera respublica christiana exstare potest, qua usus est in libera et spontanea singulorum coetuum et civium voluntate respicienda et propugnanda. Libertas enim et multiplex agendi varietas, quibus ecclesia evangelica ornata est, in dedecus et maculam vertuntur, omnemque communionem solvunt et dirimunt, nisi fulciuntur certo stabilique fundamento, neque firma et perpetua continentur unitate, ex qua procedunt. Unitas tantum procreat communitatem; illa destituti ad externam modo copulationem pervenimus, quae neque naturae ecclesiae, neque fini ei proposito satisfacit.

Videmus quidem *Schleiermacherum* ejusmodi fundamentum §§ 309 et 313 indicasse, sed partim hoc ipsum jam nimis inconstans et anceps est, quum de iis imprimis constituendis agatur, quae ad vim et naturam Christianismi pertineant; partim multo adhuc incertius fit eo, quod § 259 singulis personis nimia in rebus fundamentalibus dijudicandi et immutandi potestas conceditur, modo mutatio a populo accipiatur (§ 323). His praeceptis non tam necessarius et organicus ille doctrinae progressus postulatur, per quem ecclesia ea fidei cognitione duce, quam hucusque e Verbo divino eruit, in penetralia Scripturae Sacrae descendit, tum ad se ipsam in indaganda veritate confirmandam et augendam, tum ad impugnandos novos errores; sed potius commutandae doctrinae et deficiendi ab ea licentia singulorum theologorum et multitudinis arbitrio conceditur, imo non solum conceditur, sed adeo pro principio ecclesiae viventis habetur.

In ejusmodi vero fundamento ex atomis dispersis com-

posito, et in autonomia hominum posito nullus exstrui potest organismus firmus et vivus, quia certo constituyente et continente principio destitutus est. Neque communitas inde exorta pro vera ecclesia habenda est, sed proprie pro congregatione ad quaerendam, non vero ad profitendam et manifestandam veritatem, fidem et unitatem; vel ad condendam ecclesiam quandam futuram, minime autem ad servandam et provehendam ecclesiam jam fundatam et exstantem*).

Quae quum ita sint, in eo potissimum errasse mihi videtur *Schleiermacher*, quod non satis necessitatem et dignitatem, quae confessioni publicae in constituenda ecclesia tribuendae sunt, observavit et respexit. Hoc fundamento semper concusso vel adeo subtracto, omnia incerta fiant et vacillent necesse est; neque impediri potest, quo minus in Ephesini illius philosophi decretum incidamus: ὅτι πάντα χωρεῖ, καὶ οὐδὲν μένει. In ejusmodi vero principio ne vera philosophia quidem, nedum ecclesia vel constitutio ecclesiae exstrui potest.

Omnes ecclesiae actiones, sive legibus definitae sunt, sive non definitae, ut quam intime, mutuo conjunctae amplexu, inter se conspirent, atque salutem et incrementum ecclesiae adjuvent, unam habeant oportet firmam et communem basin, quae constitui non potest, nisi in communi et publica fidei confessione. *Schleiermacher* ipse § 272 concedit, tantum ecclesias unius ejusdemque confessionis organice conjunctas esse; si vero addit, hoc solum de illis valere temporibus,

*) Haec igitur sententia, quam impugnamus, aliqua ex parte cognata est Romanorum de ecclesia doctrinae, secundum quam pari modo, licet alio consilio, ecclesia in statum quandam praecedentem et inferiorem reducitur, in eoque refinetur, quum Veteris Testamenti instituto aequiparetur. In qua sententia, re profundius indagata, etiam illa alia latet, veram Evangelii ecclesiam nondum fundatam et manifestatam, sed potius futuram esse.

quibus variae ecclesiae sejunctae sint, jam ei assentiri nequimus, quum quae ille contendit neque re ipsa, neque historia probari possint. Altera enim ex parte nunquam, ne primis saeculis quidem, ubi una et catholica exstabat communio per totum orbem dispersa, ecclesia non juncta fuit professione fidei et doctrinae; altera autem variae ecclesiarum confessiones non inde exortae sunt, quod singulae ecclesiae a se invicem discesserunt, sed contra propterea discedunt, quia non in eadem consentiunt fidei professione et doctrina. Quare unaquaeque societas ecclesiastica suam prae se fert propriam confessionem doctrinae, et in illa certam et firmam vivendi et agendi basin et unitatem. Quum vero *Schleiermacher* de his ponendis fundamentis parum laboraverit, eo ipso prohibuit, quo minus, quae suo jure de construenda forma ecclesiae postulaverit, re vera in lucem proferri et ad effectum perduci possint.

Relictis his quaestionibus doctrinae nostrae initia, naturam et finem, ejusque fundamenta spectantibus, breviter adhuc ambitum et partes ejus, quemadmodum *Schleiermacher* eas constituit, attingamus necesse est. Jam ex definitione theologiae practicae, quam supra proposuimus, sequitur, in eam non esse introducendas theorias singulares de actionibus non ordinatis et liberis, et quidem ob eam causam, quia neque certo muneri adjunctae, neque legibus definitae sunt. Attamen ejusmodi actiones nihilominus respiciendae erunt in doctrina de regenda ecclesia, quatenus etiam illae re ipsa fundamentis ecclesiae alligatae sunt. Quum enim regiminis sit totam ecclesiae vitam custodire, etiam in theoria de regimine ecclesiastico suo loco agendum erit de relatione, quam habeat ad diversas liberas actiones. Necesse est

igitur regimen caveat, ne hae actiones fundamentum deserant vel deruant, neve limites transgrediantur. Quare doctrina normas constituet, quibus ducibus regimini adhibitis consiliis idoneis providendum erit, ut etiam hac ratione ecclesiae salus et incrementum provehatur, utque rerum ordo externus sustineatur. Hoc autem facto doctrina ultra procedere nequit, nisi superfluis rebus se obruere velit.

E contraria parte sine ulla dubitatione in disciplina nostra data opera agendum est de exstruenda forma et constitutione singulorum coetuum parochialium, quod tamen *Schleiermacher* non potuit, quia jam in doctrina de ministerio ecclesiastico hanc rem absolverat. Ex ejusmodi vero diremptione actionum, quae ejusdem generis sunt, se invicem poscunt, et quam maxime conspirant, luculenter apparet, quam parum tota ejus theologiae practicae disponendae methodus ex natura ecclesiae viventis profecta sit.

Neque denique consentire possumus cum eo, quum totam disciplinam nostram dividat in doctrinam de regimine definito vel ordinato, et non ordinato vel libero. Etsi non urgeamus, regimen non ordinatum in se continere contradictionem quandam et ordinis perturbationem, eadem *Schleiermacher* objicienda nobis videntur, quae jam supra (pag. 86) contra *Schweizerum* protulimus. Ejusmodi distinctio externam, ubi plurimum, spectat actionum faciem, minime internam earum indolem. Libertas enim tantum versari potest circa varias agendi formas, ubi vero substantiam ipsam tangit et laedit, non amplius hoc nomine digna est, sed in arbitriam voluntatis libidinem vertitur, cui nullus neque in agente ecclesia, neque in theologia practica tribuendus est locus. Ejusdem idecirco sumus sententiae cum *Liebnero* l. l. pag. 127 judicanti: „*Es ist dies aber ein Unterschied, der nur etwa*

die Form der Erscheinung, nicht das Wesen trifft. Im Wesen ist der Unterschied aufgehoben, soll wenigstens fortwährend aufgehoben werden; denn frei geht die einzelne Gemeinde auch in die Identität mit dem Ganzen ein, und ihr Individuelles fühlt sie durch den Zusammenhang mit dem Ganzen bestimmt. Also Freies und Gebundenes, Freiheit und Nothwendigkeit an jeder Stelle ineinander.“

Jam vero finem imponamus huic priori commentationis nostrae parti. Quamquam toto animo maxima virorum clarissimorum, contra quos disputavimus, merita de excolenda theologia practica agnoscimus et plurimi aestimamus, tamen non potuimus detineri, quo minus rei diligentius perscrutandae causa aperte et ingenue confiteremur, quae, nostro quidem judicio, in opusculis illis desideranda essent. Cuique rem investiganti apparebit, quantos progressus inde a *Schleiermacher* usque ad *Liebnerum* scientia nostra fecerit, et in constituendis notionibus ecclesiae, muneris ecclesiastici, atque scientiae nostrae, et in adornandis theologiae practicae partibus, inde derivatis. Nihilominus nondum satis observata mihi videtur historia, neque certius definitae conditiones constituentes ecclesiae viventis et agentis, quibus non, ut par est, indagatis doctrina nostra neque praxi ecclesiasticae, neque scientiae praeceptis probe adaptari potest. Ut vero hoc fiat, partim magis respicienda erit tum natura ecclesiae et singularis potestas adminiculorum gratiae, tum necessitas et dignitas confessionis publicae; partim diligentius perscrutandus et explicandus internus et vitalis processus ecclesiae se ipsam aedificantis.

Ne autem, qui plurima in aliis reprehendimus, nihil ad assequendum propositum theologiae practicae finem pro viribus nostris conferre videamur, nostram exstruendi systematis rationem et viam iudicio virorum eruditorum in sequente adumbratione proponemus.

Pars posterior.

Ratio nostra exstruendi systematis theologiae practicae paucis adumbratur.

1. Theologia practica neque definiri, neque ordinari potest, nisi indagata natura et constituta notione ecclesiae evangelicae, ejusque secundum rationem practicam consideratae; quae, ut certa fidelium congregatio, qualis facta est variis conditionibus et formis historicis, vivit et agit ad se ipsam aedificandam, donec perveniat ad finem sibi propositum.

Cfr. Ep. ad Ephes. II, 20—22; IV, 4—16.

2. Necessae est igitur, ut jam initio hujus commentationis (pag. 4 et 5) demonstravimus, scientia nostra conveniat et cum idea et cum historia vitae ecclesiasticae. Quare utraque exponenda est, indeque totum corpus disciplinae nostrae componendum, priusquam data opera hujus corporis membra uberius explicentur.

Idea rei et historia, quarum altera immobile et constans, altera instabile et volubile momentum repraesentat, aequae necessariae et ita junctae sunt, ut altera earum neglecta neque altera probe intelligi, neque disciplina nostra bene fundari et accurate disponi possit.

3. In duas ergo partes tota nobis discedit theologia practica, quarum prior, definitis conditionibus funda-

tribus, quibus ecclesia continetur, et enarrata vitae morisque ecclesiastici historia, perficitur adornando systemate doctrinae nostrae, ut deinde in posteriore parte unaquaque disciplina, alia post aliam, omnibus numeris explicetur et absolvatur. Alteram constitutivam (fundamentalem et historicam), alteram technicam appellandam censemus*).

In universum vim et potestatem, quae in exponendis omnibus viventis ecclesiae actionibus historiae tribuendae sunt, nimis neglectas vel parum tantum ponderatas videmus a theologiae practicae cultoribus, perpaucis, praecipue *Nitzschio* et *Hoeflingio*, exceptis. Plerumque ad summum leviter attingitur in singulis disciplinis ipsis. Hoc vero modo singulae actiones nimis dilacerantur, eoque prohibetur, quo minus tota et in unum conspectum collata historia omnium actuum, ut inter se cohaereant et mutuam in se exercent vim aut prosperam aut noxiam, intelligi possit. Hac vero constituta parte historica non excluditur, imo postulatur, ut nihilominus in singulis disciplinis suo saltem loco singillatim ex rerum historia respiciantur, quae necessaria sunt ad probe intelligendas actiones ipsas.

Cum historia vitae ecclesiasticae simul jungenda est narratio de ortu, progressu et fati theologiae practicae, quum praxis et theoria sibi respondeant, sibi que invicem aut prosint aut noceant.

4. Theologia practica, ut jam supra (Cap. II) eam a theologia theoretica distinximus, nititur notione ecclesiae viventis et agentis, i. e. semet ipsam aedificantis. Plurimum igitur refert, ut notiones tum ecclesiae, tum aedificationis ad stabiliendam disciplinam nostram recte definiantur.

*) Ad priorem, quam nominavimus partem, feliciter excolendam paulum pro viribus nostris hac commentatione conferre volumus.

5. Ecclesia est spiritualis et mutua communio Jesu Christi, Domini, cum fidelibus suis, tanquam capitis cum corpore, cujus membra et cum capite et inter se uno Spiritu, unaque fide juncta sunt.

Haec definitio ex Scripturis Sacris probanda et copiosius exponenda est. Cfr. Joh. XV et XVII; Ep. ad Ephes. I, 23. cet. Una, sancta, catholica ecclesia perpetuo mansura.

6. Spiritus vero Sanctus fidem non procreat neque cum fidelibus agit, nisi per Verbum divinum et Sacramenta; rursusque fides nihil amplectitur nisi Verbum (cfr. supra pag. 35). Quare Scriptura Sacra una est norma et praecipuus fons totius vitae ecclesiasticae: „Verbo Dei ecclesia generatur, alitur, roboratur.“

7. Sicuti autem ecclesia non scripto, sed praedicato Verbo et audito ab Apostolis fundata et propagata est, ita etiam hoc tantum Verbo servatur et promovetur. Non enim ex litera externa, sive Verbo nondum intellecto et explicato, profluit fides et vita ecclesiae, sed potius e Verbo vivo i. e. credito, explicato et praedicato. Hujus naturae Scriptura fit in confessione publica, in qua Spiritus Jesu Christi et fides hominum, capitis et corporis actiones quam intime conspirant; ita ut in confessione tum Verbum externum Spiritus fiat, tum Spiritus, qui in fidelium cordibus habitat, Verbum. Quare in symbolo, tanquam in fundamento omnibus actionibus substrato, ecclesia fundata est et aedificatur.

Cfr. Matth. XVI, 15—19 et Ep. ad Ephes. II, 20, ubi testimonium ab Apostolis de Christo editum *πέτρα* et *θεμέλιος* (ad Rom. XV, 20; I ad Corinth. III, 10) appellatur. *Ἀζρογωνιαῖος* vero, quo solo fundamentum et totum aedificium continentur, Christus ipse est.

Ratio exponenda est, quae intercedat inter Verbum et Symbola, eorumque origo, natura, necessitas, dignitas et vis practica demonstranda.

8. Quae quum ita sint, ecclesia cum Aug. Conf. ita definienda est, ut sit congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, et recte administrantur Sacramenta.

Ecclesiae natura interna („sanctorum“) et externa („congregatio“); notae, eaeque certae et sufficientes, quibus cognosci possit; ecclesia vera et falsa, orientalis et occidentalis, romana et evangelica, reformata et lutherana. Ecclesiae evangelicae civitatum finibus circumscriptae, et parochiae.

9. Quemadmodum omnibus ecclesiae actionibus unum subjectum est fundamentum in confessione publica, ita quoque ad unum tendunt finem omnibus in aedificatione ecclesiastica propositum. Quum autem ecclesia communio sit Christi et fidelium, neque illa, nisi Christo in ea agente, agere possit, etiam aedificatio ejus eo consistit, quod simul aedificatur a Christo, et se ipsam suis ipsius actionibus aedificat (Cfr. Ep. ad Ephes. II, 19 — 22; Judae 20; I. Petri II, 5). Aedificatio ergo ecclesiae simul est opus Christi, vitam et Spiritum suum fidelibus communicantis, et ecclesiae, fidem vitamque suam manifestantis. Quam ob causam actiones ecclesiasticae respondeant necesse est et vitae internae, quam repraesentant, et actionibus Christi, ex quibus principaliter profluunt.

10. Utriusque vero, et capitis et corporis, actiones quam maxime inter se cohaerere, inde potissimum apparet, quod Christus et ecclesia unum idemque habent aedificandi finem, modum, et officium; eandem enim spe-

ctant fidem, iisdem utuntur adminiculis, et eodem funguntur munere.

11. Primum enim Christus per Spiritum Sanctum id praecipue agit, ut regnum suum servet et propaget, ideoque fidem salvificam in cordibus hominum procreandam et alendam curat, salvo tamen ordine salutis ab ipso constituto. Eodem etiam fine omnes comprehenduntur actiones ecclesiae vitales, in quibus ecclesia vitam suam manifestat et communicat, et quidem eodem ordine, quo eam accepit, semperque accipit, ad propagandam et fundandam, ad servandam et promovendam fidem. Externus ergo processus et ordo, quo vitales actiones in lucem procedunt, respondet interno vitae spiritualis processui, qui ipse ordini salutis adstrictus est.

Hoc principio existimamus internam denotatam rationem et ipsarum actionum ecclesiae externarum, et ordinis, quo sese excipiant. Cum *Nitzschio* etiam distinguimus actiones fundatrices et conservatrices, nec tamen eodem modo, neque eodem consilio.

12. Deinde ecclesia se ipsam aedificat praedicatione Verbi et administratione Sacramentorum, iisdem adhibitis adminiculis, quibus solis Christus in ea vivit et agit. Quamquam enim proprie et principaliter ecclesia aedificatur Verbo divino, ita ut illo in nullo actuum suorum carere possit, tamen neque una eademque ratione eo utitur in singulis actibus (2. Timoth. II, 15), neque ei licet Verbum sejungere a Sacramentis, quorum alterum, initiationis Sacramentum, actiones fundatrices spectat, alterum communionis una cum potestate clavium ad actiones conservatrices referendum est.

Cfr. Artt. Smalc. P. III, Art. IV: „Deus enim superabundanter dives et liberalis est gratia et bonitate sua, primum per

Verbum vocale, quo jubet praedicari remissionem peccatorum in universo mundo; et hoc est proprium officium evangelii. Secundo per baptismum. Tertio per venerandum sacramentum altaris. Quarto per potestatem clavium, atque etiam per mutuam colloquium et consolationem.“

Potestatem clavium sensu proprio et strictiore sumimus, quo designat potestatem ecclesiae traditam remittendi vel retinendi singulis hominibus peccata.

13. Dum in his adminiculis, modo recte administrantur, i. e. ita, ut ecclesiae data et mandata sunt, objectiva actionum veritas et propria earum vis aedificandae fidei posita est, subjectiva earundem veritas nititur in cordibus ipsis, quae tamen manifesta fit in precibus, quibus simul corda idonea fiunt ad admittendam et suscipiendam gratiam divinam. Quam ob causam ecclesia nullam actionum suarum absolvere potest, nisi oblatis precibus communibus. Verbo enim divino — ait Apostolus — et precibus omnia sanctificantur. I. Ep. ad Timoth. IV, 5.

14. Christus denique ecclesiam suam condit, servat, gubernat tanquam summus ejus propheta, sacerdos et rex. In exercendis vero his officiis per Spiritum Sanctum non solum illis adminiculis utitur, naturae humanae adaptatis, neque tantum in ecclesia agit, sed etiam per eam ipsam, tanquam organum vivum et liberum, opus suum perficit, ideoque varia variis ecclesiae membris dispensat dona spiritualia. Uno ergo eodemque funguntur munere et Spiritus Sanctus per ecclesiam, et ecclesia in Spiritu Sancto. Ex Christi muneribus procedunt varia officia ecclesiae viventis et agentis, propheticum, sacerdotale et regium, quae omnia absolvit auxilio doctrinae, cultus et disciplinae. Licet alterum officium ab altero in singulis actionibus praeponderetur. prout harum natura poscit, tamen iis omnibus simul utatur

ecclesia necesse est et in actionibus fundatricibus et in conservatricibus. Omnia autem haec negotia continentur in ministerio Verbi divini.

Origo, natura, officia muneris ecclesiastici exponenda.

15. Hucusque ecclesiam intrinsecus respeximus, quatenus se ipsam, vel fidem et vitam suam directa via aedificat. Extrinsecus vero spectata ecclesia non solum communio est sanctorum, sed etiam certum institutum quoddam, vel politia canonica et externa. Ut enim fides et doctrina ecclesiae una cum cultu et disciplina sustententur et foveantur, ut impedimenta arceantur et salus ecclesiae sustineatur, ut denique omnes actiones secundum communem quendam ordinem et cum bona pace exercentur, opus est certa constitutione et repraesentatione, legislatione et administratione ecclesiastica, quarum tamen normae et principia deducta sint necesse est ex Verbo divino et libris ecclesiae symbolicis, ne iis ipsis fides laedatur vel deruatur. His quidem legibus et institutionibus canonicis ecclesia etiam aedificatur, sed tantum indirecta via, quia non ipsam fidem ejusque vitam attingunt, sed solum actiones ecclesiasticas, fidem spectantes, ordinant, dirigunt et tuentur.

„Tales ordinationes convenit ecclesias propter caritatem et tranquillitatem servare eatenus, ut ordine et sine tumultu omnia fiant in ecclesiis. Verum ita, ne conscientiae onerentur, ut ducant res esse necessarias ad salutem.“ Aug. Conf. Art. XXVIII. pag. 58. — I Ep. ad Corinth. XIV, 40.

16. Itaque theologia practica nobis est scientia de actionibus ecclesiae se ipsam per ministerium Verbi et Sacramentorum aedificantis. Quum vero duplex

ecclesiae facies distinguenda sit, indeque duplex proficiscatur ecclesiae semet ipsam aedificandi ratio, in duas etiam doctrina nostra discedit partes, quarum prior directam ecclesiae adificationem spectat, quae ministerio ecclesiastico mandata est, posterior indirectam, quae regimine ecclesiastico absolvitur. (*Χάρισμα διδασκαλίας καὶ κνβεργήσεως. Potestas ordinis et jurisdictionis*).

I. Doctrina de ministerio ecclesiastico.

17. Quum omnis aedificatio ecclesiastica proprie nihil sit, nisi manifestatio et repraesentatio fidei vitaeque christianaе, necesse est eam antecedit jam exstans communio fidelium ipsa e mundo segregata et in se congregata. Haec igitur una ecclesia sedes est et quasi centrum, unde omnes actiones procedunt, et quo redeunt.

Notandum est, omnes ecclesiae viventis actiones totum aliquid, in se organice compositum repraesentare, ita ut abstracto modo discerni et a se invicem divelli minime queant.

Licet singulae actiones pro natura sua vel ad totam communionem vel ad singulos homines directae sint, tamen in unaquaque earum semper respiciendum et sustinendum est vinculum artissimum, quo corpus cum membris, et membra cum corpore conjuncta sunt, ut etiam Apostolus dicit ad Ephes. IV, 12. 16.

18. Eadem ecclesia, quum sit sancta et catholica, id maxime agere debet, ut partim perpetuo se conservet et propaget in hoc mundo ad salutem ei conferendam, partim fidem vitamque suam incolumem servet ab hoc mundo in suam ipsius salutem (Job. XVII, 15 sqq.). Quare et exhibit in mundum, ut singulos vocet et congreget ad fidem in iis fundandam, eosque ipsos fundamento ecclesiae adjun-

gendos, et redibit ad se ipsam, ut congregatos confirmet, servet et promoveat, vitamque omnium sanctificet. Priores actiones fundatrices, posteriores conservatrices appellamus. Potestas vero ecclesiae et officium agendi nituntur in adminiculis, donis et muneribus a Christo institutis et dispensatis.

Eodem modo etiam Paulus Apostolus in Ep. ad Eph. II vocibus *ἔποικοδομεῖσθαι* et *συνοικοδομεῖσθαι* duplicem distinguit aedificandi rationem.

Proprie et principaliter aedificatio ecclesiae semper unus idemque est actus, quia utrique actioni a nobis constitutae una gratia Dei communis est, unaque fides hominum. Hac ratione ecclesia se ipsam, diverso tamen respectu, semper denuo fundat servando, seque servat fundando. Attamen hoc posito nexu altera actio ab altera nihilominus probe et distincte discerni potest, quum ecclesia in utraque diversum habeat finem, quo tendat, diversa objecta, quae spectet, et diversa gratiae adminicula, quibus utatur.

19. Quum ecclesia ea lege et conditione nata sit, ut se ipsam propaget et dilatet, atque ut universum amplectatur orbem terrarum, omnesque populos et homines participes faciat gratiae et salutis divinae omnibus necessariae et paratae (Matth. XXVIII, 18—20), jam ad hoc propositum assequendum imprimis respiciat necesse est omnes, qui nondum ad communionem fidelium pertinent, et praecipue parvulos in gremio societatis suae natos. Idcirco ecclesia praeconio suo singulos homines vocabit et congregabit ad se ipsam propagandam et ad fidem in illis fundandam. Quum autem in his officiis exercendis ecclesia potissimum praeconis partes suscipiat, totam actionem in universum *κηρυκτικὴν* vel propheticam, latiore tamen hujus vocis significatione, nominari posse existimamus.

20. Hanc vero actionem ecclesia peragit inita eadem via, iisdemque adhibitis subsidiis, quibus ipsa initio condita est, Verbo et Sacramento Baptismi. Quum his gratiae adjumentis Deus homines vocet, illuminet, regeneret, eorumque auxilio se poenitentiam et fidem in cordibus excitaturum promiserit, his ambobus conjunctim, neutro neglecto, utendum est; prout tamen ecclesia sive rudem ethnicorum multitudinem respicit, sive parvulos suos modo natos, etiam vel a praedicatione Evangelii, vel ab administratione Baptismi initium agendi faciat necesse est. Inde duplex exoritur actio fundatrix, evangelistica et catechetica.

Utrumque, et τὸ βαπτίζειν et τὸ διδάσκειν, Christus instituit ad ecclesiam plantandam et propagandam. Cfr. quod modo commemoravimus dictum.

Evangelistarum atque Catechistarum officia et in eodem, quem habent sine conspirant, in adducendis novitiis ad liberam fidei professionem plenamque communionem, et in eo consentiunt, quod omnes agendi modos, ecclesiae proprios, simul requirunt, et doctrinam, et cultum et disciplinam. Ecclesia enim, ad quam homines convocantur, non solum communio doctrinae est, sed imprimis fidei et vitae. Attamen actiones evangelistica et catechetica inter se differunt et vario initio, unde exordiantur, et varia pro variis objectis constituenda docendi erudiendique ratione. Cfr., quae de re nostra praeclare exposuit *Hoeflingius* l. I. P. I, § 1 sqq.

Catechismus Lutheri minor etiam omnes hos agendi modos in se comprehendit; capita enim primum et secundum doctrinam spectant; tertium, quartum et quintum cultum, sextum denique una cum precibus et gratiarum actionibus, quas praecipit, et cum tabula oeconomica vitam et disciplinam.

21. Quae quum ita sint, prima nobis inde procedit theologiae practicae disciplina, eaque de propaganda et fun-

danda fide, quae tamen duabus constabit partibus, Evangelistica et Catechetica. In utraque harum doctrinarum agendum erit de natura et fine actuum, de summis conditionibus, quibus utraque actio contineatur (quales homines, qua re, a quo instituendi sint), de methodo tradendi doctrinam et confessionem fidei christianae, et de cultu atque disciplina, quatenus cum his actionibus necessarie cohaerent.

Ex praeunte paragrapho etiam apparebit doctrinam de instituendis Convertendis et Proselytis, qui dicuntur, cum Catechetica conjungendam esse.

22. Accedimus ad actiones conservatrices, quibus ecclesia se ipsam aedificat non ut congregandam, sed ut congregatam communionem fidelium. Eos enim, qui vocati et segregati sunt ex hoc mundo, qui divina gratia regenerati et justificati sunt, ecclesia in unum populum contrahit, Deo sacrum, atque ita se ipsam et Deo et huic mundo repraesentat tanquam sacerdotium regium. Duplex vero inde exoritur ratio agendi, sacerdotalis et regia, quarum altera, eaque principalis, cultum publicum spectat, altera vitam ecclesiae ejusque civium publicam et privatam.

Ἅγιον καὶ βασιλικὸν ἱερότευμα. I. Ep. Petri II, 5. 9 sqq. Hoc loco etiam Apostolus duplex describit ecclesiae officium, quum eam moneat, ut offerat sacrificia spiritualia utque adnuntiet (tota vita sua) virtutes Dei.

Duae actiones de quibus loquimur, nequaquam, ut saepissime fit, ita distinguendae sunt, ut prior ad totum coetum, posterior ad singula membra referatur. Quamvis aliquid veri ejusmodi distinctioni insit, tamen neque omnino rei adaptata est, quum in utraque simul coetus atque singuli cives respiciantur, neque ea duce probe intelligi potest utriusque actionis natura. Altera ab altera potius eo differt, quod prior rationem spectat, quae inter-

cedit fidelibus cum Christo, atque cum salutis fideique communione, et quae in iis omnibus una eademque est; posterior vero vitam et officium ecclesiae in hoc mundo, ideoque varias vitae quotidianae conditiones et diversa negotia respicit, in quibus membra ecclesiae, dum vivunt, versantur. (Cfr. etiam, quae supra ad primam paragraphum adnotavimus; et quae *Sackius* hac de re l. l. pag. 574 recte iudicavit.)

23. Primum ergo ecclesia congregatur, ad cultum publicum communiter celebrandum; ut se ipsam, Christo offerat tanquam vivum et spirituale sacrificium *εθγουριστικόν*, utque ab eo, qui promisit, se in ea affuturum (Matth. XVIII, 20 et XXVIII, 20), semper denuo accipiat gratiam et vitam, adhibitis tamen adminiculis constitutis, quae una complectimur Sacramenti notione. Hunc in finem ecclesia tum fidem suam profitetur, preces fundit, gratias agit; tum Verbum praedicat et audit, Sacramentum Coenae praebet et accipit.

Cfr. Apol. Aug. Conf. pag. 247 sqq.: „Quid sit sacrificium, et quae sint sacrificii species.“

24. Quum igitur ecclesia eo consilio sacra publica faciat, ut partim fidem communionemque suam in Christo celebret et repraesentet, partim eandem renouet et confirmet, conservet et promoveat, quod quidem potissimum praedicatione Evangelii efficitur, duae inde procedunt diversi generis actiones. Prout hunc vel illum praecipue spectant finem, ideoque magis sacrificii vel magis sacramenti speciem prae se ferunt, singuli actus, quibus cultus absolvitur, fiunt aut repraesentativi, aut teleologici. Priores liturgicos, posteriores homileticos appellamus.

In Coena Sacra utriusque actiones, sacrificii et sacramenti, ad summum perveniunt fastigium, et quam arctissime junctae sunt.

Prout cultus publicus ex omnibus illis compositus est actibus, vel tantum uno eorum potissimum constat, discrimen etiam constituitur inter cultum primi et secundi ordinis.

25. Theologia ergo practica pergat necesse est imprimis ad doctrinam de cultu publico constituendam, ut in ea originem, naturam, principia et elementa cultus evangelici exponat.

Cfr. *Nitzschius* l. l. in observatione tertia, et *Hoeflingius* in *Harlessii „Zeitschr. f. Protest. u. Kirche“* 1840 et 1841.

Sicuti ecclesia ad Deum pie riteque colendum congregata in summo fidei vitaeque suae stat fastigio, qua re in cultu publico primi ordinis omnes ceterae actiones comprehenduntur et consummantur, inde procedunt, eodemque redeunt, ita etiam ex hac de cultu disciplina, quae medium tenet locum in doctrina de ministerio ecclesiastico, omnes singulae disciplinae hujus doctrinae omnino pendent, quippe quae iis omnibus fundamento sit et leges praescribat.

26. His positis fundamentis agendum erit de actibus liturgicis ipsis (de precibus, formulis solemnibus, carminibus sacris et cantu sacro — Euchetica et Hymnologica —), et de liturgia, vel de componendis integris sacrorum actibus, sive sunt actus initiationis, sive communionis, sive benedictionis; quae omnia absolvuntur in disciplina, quae proprie Liturgica vocatur.

27. Postremum necessario sequitur Homiletica, quae constituta natura et exposito fine orationis sacrae, varias perscrutatur rationes, quae intercedant inter eam et Verbum divinum, et ecclesiam, et parochiam, et praedicantem, ut denique processum psychologium et logicum proponat, quo oratio sacra procreetur, excolatur, absolvatur.

28. Congregati vero cives ecclesiae dimittuntur et redeunt in vitam quotidianam, non ad recidendum in pristinum vitae degendae morem, neque ad repudianda vitae officia et negotia (I. Ep. ad Corinth. VII, 20), sed ut se incolomes servant a mundo (I. I. VII, 31), totam vitam, domesticam et civilem, fide christiana imbuant et sanctificent, eoque eam ipsam tanquam vivam et efficacem omni modo comprobent et servant, atque de ea non verbis modo sed reapse testimonium edant manifestum coram omnibus. Quam ob causam ecclesia non discedit neque a toto coetu, neque a singulis membris, sed omnes in omnibus variis internae et externae vitae conditionibus, negotiis et periculis, in quibus versantur, solemnibus precibus et benedictionibus, exhortationibus et consolationibus prosequitur, eo consilio, ut partim fructus cultus publici servantur et augeantur, partim beneficia sacrorum publicorum iis quoque impertiantur, qui vel inviti iis privati sunt, vel sua sponte iis abstant; quos tamen, ubi obstinate in peccatis persistunt, ecclesia, omnibus remediis frustra adhibitis, tanquam mortua membra ex communione sua tandem secludat necesse est (Matth. XVIII, 15 — 18).

29. Omnes hujus generis actiones una comprehendimus notione παιδείας, τῆς ἐν δικαιοσύνῃ (II. Ep. ad Timoth. III, 16, 17). In iis vero exercendis ecclesia cunctis utitur agendi modis, ne liturgicis quidem exclusis; qui tamen omnes in administrationem potestatis clavium, tanquam in unum focum conveniunt.

Sine confessione et absolutione peccatorum privata veram et efficacem animarum curam constitui et exerceri non posse, et ex ipsa et ex historia apparet. Cfr., quae de hac re optime exposuerunt Harmsius: „Pastoraltheologie“ P. II, inde a pag. 157; et Loehius: „Drei Bücher von der Kirche“ Stuttg. 1845, 125 sqq.

Disciplinam et potestatem clavium jungit etiam Christus apud Matth. XVIII.

Omnes quoque paedeutici actus proprie ab iis administrandi sunt, qui munere publico funguntur, neque tamen ab iis solis, sed una cum aliis parochiae membris. Qua re opus est certa aliqua parochiarum constitutione, quam tamen posterior theologiae practicae pars exponit.

30. Quae inde procreatur postrema hujus partis disciplina, Paedeutica sacra, in tria discedit capita. Primum agat necesse est de vita christiana et ecclesiastica in genere ordinanda; secundum de cura animarum speciali, respecta quidem ratione, quae singulis membris intercedat partim cum ecclesia et parochia, partim cum variis vitae negotiis et conditionibus, partim cum malis et calamitatibus hujus mundi (sive sunt afflicti, sive pauperes, sive aegroti, sive moribundi). Tertium tractabit disciplinam ecclesiasticam, sensu hujus vocis strictiore, easque simul actiones describet, quae hodie non inepte lingua vernacula „die innere Mission“ appellantur.

Si uno obtutu perlustramus totum hoc systema, quod delineavimus, in se ordinatum et conclusum nobis esse videtur. Medium enim locum tenet doctrina de cultu publico; ut autem cultus ipse, quum a confessione Dei triunius et peccatorum exordiat, ad Baptismum respectat, et benedictionibus coctum congregatum in vitam quotidianam dimittit, ita etiam huic doctrinae praecedunt Evangelistica et Catechetica, sequitur vero eam Paedeutica. Neque minus, ut equidem arbitror, ordo, quo singulae disciplinae se excipiunt, respondet et processui vitae internae, qui ordini salutis adstrictus est, et cursui vitae externae, quem inde ab initio usque ad finem secuti sumus. Denique totum systema in se ipso absolutum esse inde apparet, quod ii, qui sua culpa ex communione ecclesiastica segregati sunt, denuo in se evangelisticas ecclesiae actiones excitant (cf. Matth. XVIII, 17); quo facto ad initium reducimur.

II. Doctrina de regimine ecclesiastico.

31. Jam supra § 15, ad quam lecturos delegamus, demonstratum est, ecclesiam, quatenus politia externa et canonica sit, actionibus ordinatricibus egere, et quidem eo consilio, ut fundatrices et conservatrices actiones suas sustineat et ordinet, dirigat et tueatur. In hunc finem ecclesia ex potestate sua legis condendae et juris dicendi canones et instituta omnium actionum sanciet et praescribet, ita tamen, ut omnia, quae praecipiat, ad normam Verbi divini et confessionis publicae conformet. Regiminis ecclesiastici notione totum hunc agendi modum complectimur.

Potestas jurisdictionis nequaquam cum potestate ordinis confundenda est, a qua et origine, et natura et fine differt. Inde apparet, iis, quibus ordinis potestas credita sit, minime eo ipso potestatem juris dicendi datam esse (Matth. XX, 25—28). Ex hac enim rerum alienarum commixtione jam inde a secundo saeculo exorta est, magisque in ecclesia crevit prava hierarchia. Vera et evangelica hierarchia simul respiciat necesse est jura atque officia tum ecclesiae ipsius, tum ordinis clericalis, tum parochiarum singularum.

32. Doctrina de regenda ecclesia vel Politica sacra, quae inde proficisitur, duabus absolvi potest partibus. Altera, eaque fundamentalis, principia politiae sacrae exponit, et quidem ita ut primum, respecta per se ecclesia ipsa, de ejus potestate agat. Eo consilio partim naturam, originem et varia potestatis ecclesiasticae officia (doctrinam, cultum, mores, disciplinam et res ecclesiae oeconomicas spectantia) explicat, partim

rationem describit, quae huic potestati intercedat et cum ecclesia ipsa, et cum parochia, et cum schola atque literis in universum, et denique cum rebus familiaribus. Deinde consideranda erit ecclesia respecta ratione ejus tum ad alias ecclesias vel ad societates religiosas, tum ad civitatem. Altera doctrinae nostrae pars, eaque constructiva, enarrata historia trium ecclesiae constituendae systematum, exponat necesse est constitutionem et administrationem ecclesiae, itaque primum disserit de regimine ecclesiastico, cui demandandum et quomodo componendum atque administrandum sit, deinde de ordine clericali instituendo, denique de excolenda parochiarum constitutione et de condendo munere parochiano. (Presbyteratu, vel aptius Diaconatu).